


INSTITUTIONES MEDICÆ
PETRO LEOPOLDO
ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
MAGNO ETRURIÆ DUCI &c. &c. &c.

CONSECRATÆ

AUCT. RAINERIO BONAVENTURA
MARTINI PISANO
IN PATRIA ACADEMIA
PUBLICO THEORETICÆ MEDICINÆ
PROFESSORE

TOMUS SECUNDUS

PATOLOGIAM, SEMEJOTICEN, ET
THERAPEUTICEN CONTINENS.



FLORENTIÆ MDCCLXXII.
EX TYPOGRAPHIA DOMINICI MARZI ET SOCIORUM
Superiorum facultate.

PRÆFATIO.

Habes humanissime Lector alterum medicarum institutionum volumen, in quo de pathologia, semejotica, & therapeutica disseritur. Fortasse & in hoc volumine aliqua occurrent Tibi loca, quae uberius explananda fuerant, & fusius, atque in clariori lumine collocanda. Sed scias velim illud hoc opusculo propositum mihi dumtaxat fuisse, ut earum Tibi epitomen exiberem institutionum, quas, si quid otii nactus ero, alias emendatiores, auctioresque in publicum proferam. Meum igitur hoc non inexpiabile peccatum aliquando ad bonam frugem Diis annuentibus revocabitur, meusque hic præceps conatus erit, mihi demum exercitatio sedulitatis fortasse Tibi non infructuosæ. Nolo hic de me aliquid polliceri, qui mobilitate quadam ingenii præditus in vario studiorum genere antehac desultoria levitate pervagatus sum, sed quid pertinax studium, quid navata dies noctesque theoriæ medicæ opera præstare deinceps possint, apertissime cognosces. Interim rogandus mihi es, ut æquus Judex, & Censor esse pergas, & quæ plurima in typos irrepsere menda typographo remittas, corrigasque. Profecto æquus ipse cum sis nunquam Tibi veniet in mentem subvereri, ne sint auctori operis tribuenda.


Erra-

		Errata	*Corrige*
Pag. 4	lin. 25	actum	*lege* aptum
5	19	ab ea	ad ea
9	22	ſupervacaneũ eſt	*adde* de illis
11	25	in modicis	immodicis
15	22	poculos	porulos
21	3	quos	ſi quos
26	26	ſucceſſionum	ſeceſſionum
28	14	edes	ſedes
31	1	inſectione	inſertione
43	9	evalitionem	coalitionem
89	10	matrice	nutrice
90	24	adabrente	adparente
108	14	flui viſcidi dorum	viſcida fluidorũ
109	22	ſalutationem	ſolutionem

Alia menda minoris momenti corriget benevolus Lector.



ΠΑΘΟΛΟΓΙΑ.



HActenus humani corporis naturam universam, sive naturalem constitutionem, scilicet statum illum, in quo idem juxta leges agit a natura praescriptos, consideravimus, & quibus modis in statu illo durare possit ostendimus. Postulat nunc instituti ratio, ut quae ipsi praeter naturam adcidunt, statum nempe illum, in quo facultas adimitur eidem humano corpori functionum ad naturae, & sanitatis leges exserendarum, quique morbus dicitur, sedulo perpendamus. Et quoniam sanitatis naturam in optima solidorum structura reposuimus & in ea fluidorum constitutione physica, ut nec nimium vigeant, nec langueant nimium interni illi vitalis fermentationis motus, per quos fluida ipsa vitalem abeunt in flammam, sic generalis morbi natura in eo constituenda est, quod solida vitio aliquo functiones suas aegre peragant, interni-

que illi fluidorum motus vel nimium vigeant, vel plus æquo langueant. Cum autem nihil fieri possit sine caussa atque adeo morbi a suis caussis proficiscantur, operæ pretium est, ut antequam ad varios solidorum, & fluidorum morbos expendendos progrediamur, de eorundem caussis generatim disseramus.

CA-



CAPUT I.

DE CAUSSIS MORBORUM



CAuſſa cujuſlibet morbi id qualecumque habendum eſt, quo efficitur, ut morbus exiſtat. Plures autem ſunt apud Medicinæ ſcriptores cauſſarum morbos efficientium diviſiones, inter quas ea principem locum tenet, qua illæ in internas, & externas dividuntur. Internarum cauſſarum nomine intelligitur vitium quodcumque intra corpus latens, ſive in humoribus, & canalibus ſedem habens, hærenſque aliquanto ante, quam in morbum erumpat, quod ſane vitium non ſenſibus, ſed conjectura adſequimur. Externæ vero eæ ſunt, & communiter reputantur, quæ extra corpus poſitæ in corpus ipſum vi ſua agunt, illudque adficiunt, & immutant. Hæ autem rurſus in neceſſarias, & non neceſſarias diſtinguuntur. Non neceſſariæ ſunt quæ fortuito contingunt, nec ullo modo pertinent ad uſum vitæ, quales ſunt externorum corporum im-

pactus, serpentium ictus, & alia hujusmodi, quibus animale corpus fortuito læditur. Necessariæ vero sic dicuntur, non quod necessario morbum inferant, sed quod non semper in nobis sit, ut ab iisdem caveamus. Huc pertinent res non naturales, quibus adcenseri etiam debent somnus, & vigilia, & animi pathemata, quæ cum extra nos posita non sint hinc est, ut non tam apte inter caussas externas referendæ videantur, nisi forte caussarum externarum nomine eas intelligamus, quæ extra nos sunt & sine ulla conjectura, sed sensu ipso manifestissime percipiuntur. Eas autem aptius vocaveris evidentes sequutus auctoritatem *Celsi*, qui externarum caussarum mentionem non facit, sed quas sic adpellant Physiologi, evidentes ipse nuncupavit. Internæ igitur caussæ aliquem ponunt sanitatis defectum, antequam morbus explicetur, sed latentem, vel ita levem, ut sine magna functionum læsione aliquandiu ferri possit. Externæ vero cito adgrediuntur vel sanissimos, ut per se patet.

Sed inter morbi caussas recenseri debet quæ dicitur prædisponens, ut & ea, quæ procatarctica, sive occasionalis adpellatur. Prædisponens dici solet quævis conditio, quæ corpori inhæret, quaque idem actum efficitur ad morbum nata occasione contrahendum. Hujusmodi caussæ, seu conditiones sunt plethora, corporis imbecillitas, cacochymia, temperamentum &c. Occasionalis autem caussa, sive occasio, vocatur id omne, quod prædisponenti caussæ superadditum hanc excitat, determinatque, ut copulatis viribus morbum creent. Unde constat neutram per se ad procreandum morbum valere, sed utriusque concursum requiri.

Tan-

Tandem præcipua, & maxime generalis divisio caussarum institui solet in remotas, & proximas. Caussæ remotæ dicuntur illæ, quæ singillatim aliquid possunt, & faciunt ad morbum excitandum, quin tamen reipsa morbum pariant, nisi simul omnes ad hunc efficiendum conspirent; Caussa vero proxima ea vocari solet quæ ex concursu remotarum omnium profecta præsentem morbum præsens & ipsa integra, & sufficiens totum constituit, & inmediate parit; Posita morbum ponit, sublata tollit. Cum ergo rationem universam originis morborum in se contineat, caussa continens a Pathologis nuncupatur, qualis est ex: gr. materia obstructionem faciens, qua sublata tollitur etiam obstructio. Caussæ remotæ dici satis apte possunt principia morborum, & ad duo suprema capita revocari, scilicet ad dispositiones quascumque corpori inhærentes, morbumque exscitantes, quoties noxia vis analoga accesserit, & ad vires noxias, ab ea nempe, quæ potestatem habent creandorum morborum in corpore prædisposito. Utrarumque vero conjunctionem requiri, ut caussa morbi, & morbus ipse suboriatur, manifestissimum est.

Quamvis autem caussa morbi plerumque obscura sit, cognosci tamen recte poterit, si eadem in simplices, ex quibus componitur, potestates resolvatur, ac deinde quid harum singulæ, quid conjunctæ simul omnes valeant expendatur, quod sane perficitur sedula eorum omnium investigatione, quæ morbum præcessere, ut propterea credibile sit eadem aliquid ad morbi genesim valuisse, sive prius in corpore sedem habuerint, sive extrinsecus adcesserint. His enim omnibus continentur vires, ex quarum conspiratione morbi caussa profluxit.

CAPUT II.

DE SYMTOMATE GENERATIM


PHænomenon id omne dicitur a Medicis, quod in sensus tum ægri, tum medentis incurrit; symtoma vero, seu morbosum phenomenon est quicumque sensibiles a naturali statu recessus, vel quidquid evidenter mutatum observatur, & a sanitate prorsus alienum, quodque ex præsente morbo proficiscitur ita tamen, ut & a morbo ipso, & a proxima ejusdem caussa distingui possit. Hujusmodi syntomata ratione tum morbi, tum ejus caussæ, tum symtomatum in symtomata morbi, tum eius caussæ, & symtomatum distinguuntur. Syntoma morbi vocari solet effectus sensibilis vi præsentis morbi suam referens originem. Caussæ syntoma tunc dicitur, cum origo syntomatis proprius ex caussa morbi derivari potest, quod sane contingit, cum vires ejus rei, quæ morbum facit, ita multiplices sunt, ut earum aliæ ad excitandum morbum

bum conſpirent, adeoque hujus efficiantur cauſſa; aliæ vero occaſione excitati morbi ſerius citius in actionem deducantur, & varios pariant effectus, qui licet morbo ſuperaddantur, non ita tamen cum illo cohærent, quin morbus ipſe ſine illis eſſe poſſit. Hæc igitur ſymtomata & perdurante morbo perſeverant, & eodem evaneſcente ſuperſunt; quin interdum plus inferunt periculi, quam morbus, cui ſe ſe comites adjungunt, alias etiam morbum morbo ſuperadditum declarant. Quod ſi utrumque ſymtoma vi ſua aliam rurſus adfectionem ſenſibilem excitarit, hæc ſymtoma ſymtomatis vocari ſolet a Medicis, eoque nomine intelliguntur etiam ceteri omnes effectus morboſi, qui ex aliis ſubinde profluunt.

Alia etiam ſunt ſymtomata, quæ ab actuoſa natura producuntur, dum viribus potentiæ morboſæ reſiſtit. Non aliud igitur ea ſunt, quam naturæ molimina propriam ſalutem propugnantes. Eadem vero cum ſalutares plerumque fines habeant idcirco ſymtomata activa auxiliaria dici ſatis apte poſſunt. Hujus generis ſunt plerumque motus ſpaſmodici convulſivi, exanthemata, abſceſſus, hæmorrhagiæ, ſudores, vomitus, alvi profluvia, aliaque plurima, quæ quandoque in morbos ſecundarios abeunt. Hinc quiſque intelligit quid Veteres ſignificaverint, cum dixere morbum eſſe naturæ luctam cum materia morboſa.

CAPUT III.

DE MORBIS FLUIDORUM.



CUm ſæpe contingat, ut aliquod in ſanguine ex ejuſdem elementis pervertatur, vel eidem aliquid admiſceatur heterogenei extrinſecus advenientis, hinc fieri neceſſario debet, ut vel ſimul omnia ſanguinis ipſius componentia, vel aliqua tantummodo ex iiſdem materia quapiam inficiantur, cujus heterogeneitate laudabilis ejuſdem indoles inmutetur. Hoc dum evenit, heterogeneum aliquid, vel acre contineri dicitur in ſanguine. Heterogeneum autem iſtud, ſive acre vel ſpontaneum eſt, vel extrinſecus in animale corpus traducitur. Heterogenei, vel acris ſpontanei geneſim etſi jure optimo repetat Cl. *Gaubius* ab alimoniæ defectu, humorum circuitu naturæ modum excedente, eorundem ſtagnatione, anomalia demum illorum motuum, quibus coctiones, ſecretiones,

exeretionesque perficiuntur, eam tamen aptius ad hæmatosim referendam esse existimaverim se se peculiares ob caussas vividius exserentem, aut contra languidius procedentem, tanto magis quod nonnullæ ex memoratis caussis a sola vitiata hæmatosi facile deducantur. Profecto cum hæmatosis ipsa in extractione, ut alibi ostendimus, acidæ præsertim substantiæ, & phlogisticæ materiæ regelatione, sive evolutione constituenda videatur, illud consequitur, quod si nimia fiat acidæ materiæ extractio, alkalina acrimonia necessario procreetur in sanguine, præsertim si alimenti inopia, calor, & motus adcesserint, contra vero acida dominetur acrimonia, si minor ejusdem materiæ quantitas educatur. Et quamvis aliæ peculiaris indolis acrimoniæ peculiari ratione sanguinem inficiant, cujusmodi sunt acrimonia muriatica, & oleosa, itemque visciditas spontanea, quam *Ettmullerus* a stomacho primum repetendam docet, quo minus perfecte chyloseos opus perficiatur, tamen cum ad alkalinas illas, vel acidas facile revocentur, supervacaneum est pluribus edisserere.

Spontaneis hisce acrimoniis fluiditas, & specifica densitas sanguinei laticis variari plurimum debet, atque inde minor ad motum facilitas proficisci. Enimvero cum in acida acrimonia ob nimiam acidæ materiæ copiam phlogisticæ sanguinis partes minus regelentur, & evolvantur, eademque ratione pars eiusdem lymphatica congelascat, & in arctiores proinde nitatur contactus, sanguineus ipse latex in corpus minus fluidum abeat, & ad motum ineptius necesse est. Idem contra.

traria ratione contingit in acrimonia alkalina; in ea ſiquidem propter uberiorem acidæ ſubſtantiæ extractionem elaſtica, & phlogiſticæ ſanguinis materiæ ita regelantur, evolvuntur, ac rareſiunt ut tandem in corpus quaſi ſpumeum non amplius flexibile, minuſque idcirco aptum ad motum ſe ſe conforment.

Quin ſpontaneis hiſce acrimoniis non modo fluiditas, & ſpecifica denſitas augetur, aut minuitur plurimorum fluidorum e ſanguine ſecedentium, ſed & nativæ aliæ ipſorum qualitates inmutari debent, præſertim vero homogeneitas relate ad ſecernentes canaliculos inſigniter variari, & quandoque etiam auferri, ut ipſamet fluida non amplius de ſanguineis canalibus ſecedentia minima vaſa obſtruant, & ſanguinis, lymphæ, & adipis augeant acrimoniam, ſive putredinem, & ranciditatem. Adcedit quod ex nimio acidi defectu, nimiaque ſanguinis adtenuatione ſanguis ipſe facile putreſcit, adeoque plurimum valet ad pruritus, dolores, puſtulas, ulcera, ſcorbutum, ſcabiem, fragilitatem, & cariem oſſium, atrophim, alioſque ſimiles morbos intra breve tempus inferendos. Et quamvis huiuſmodi mala a chyloſo etiam latice produci poſſint, ſi ob nimiam acidi quantitatem vix in ſaguinem conmutatus fuerit, produci tamen non poſſunt, niſi ex diuturniora ipſius mora in ſanguinis canalibus; qua tandem idoneus fiat ad aliquem putrefactionis gradum concipiendum, ut propterea veriſſimum ſit quod ſcripſit *Hallerus*, ſcilicet alkalinam intemperiem plus nocere intra unam horam, quam acidam intra integrum revolutum annum.

Hinc

Hinc interim conligi poteſt utrique acrimoniæ conmunia hæc ſymtomata convenire, ſcilicet lentiorem circulationis motum, & impetum proindeque minorem nervei fluidi ſecretionem, indeque virium vitalium languorem, ac præterea minimorum vasorum obſtructionem, & infarctum. Acidæ inſuper acrimoniæ hæc ſymtomata copulari, ſcilicet minorem calorem, & ob excendentem ſeri, & craſſæ lymphæ quantitatem cutis pallorem, & ſqualorem, demum laxitatem, & mollitiem ſolidorum, qua fiat, ut prementibus fluidis maxime congeſtis cedant, & in pallidos, frigidos & indolentes tumores adtollantur. Acrimoniæ contra alkalinæ hæc convenire, nempe calorem majorem, ariditatem, & rigiditatem ſolidorum.

Nunc vero ut acre, vel heterogeneum expendamus, quod extrinſecus in animale corpus invehitur, animadvertendum eſt heterogeneum hoc, vel acre non aliud eſſe, quam vitium illud, quodcumqne fuerit, quod fluida corporis animalis contrahunt ab aeris frigore, calore, humiditate ſiccitate ut & ab exhalationibus quibuſcumque noxiis, itemque ab excedenti, vel deficienti alimentorum copia, pravaque indole, nec non ab excedente motu, vel quiete, ſomno vigilia, in modicis excretionibus & retentionibus, atque ab animi pathematibus. Sed præterea acrimoniam creant in corpore potentiæ, quæ virus habent, & contagione late ſerpunt, dum nempe ad contactum corporis effluvia datæ cujuſpiam indolis pertingunt, atque ita cum ipſo adtrahuntur, ut admiſtione ſua morboſam in fluidis ſolutionem excitent, quæ cum ab aliquo ſolvente aereo continuetur contagione ſerpere poteſt

ſci-

ſcilicet cum aliis corporibus conmunicari. Morboſam hanc ſolutionem ad ſummum, ut ita dicam, fluidorum, ac præſertim rubræ ſanguinis partis, & bilis putredinem revocari docet, Cl. *Wanſvvietenius*, idemque plures obſervationes evincunt quas referunt *Hippocrates*, *Diemerbroechius*, *Zacutus*, *Salius*, aliique. Vim autem contagionis intendunt vel parcitas, vel prava indoles alimentorum. Ab iis enim ſpeciem quandam conruptionis fluida contrahunt que deinde in morbum contagioſum abit, ut in peſte Aleſienſi obſervatum fuit. Idem confirmat necroſis uſtilaginea, quæ fovetur a ſecale cornuto, cujus proventus uber eſt annis pluvioſis, & in agris paludoſis, quales ſunt Soloniæ juxta Aureliam, & agri Bleſenſis, Vaſtinienſis, Bituricenſis provinciæ, ibidemque epidemicæ graſſatur. Sed præterea eandem vim contagionis intendit excedens motus adeoque & calor, ut *Celſus* animadvertit. Et ſane in peſte, quæ Florentiæ graſſabatur anno 1663, ii omnes contagione conripiebantur, qui vel deambulatione, vel alia corporis exercitatione conferveſcebant. Unde conligi poteſt, quod qui cavere ſibi cupiunt a contagione, ii aerem conrigant oportet, quod sane præſtat acetum, vel nitrum carbonibus ardentibus injectum, & pyrius pulvis adcenſus, a vehementioribus exercitationibus abſtineant, cruditates, caloremque vitent, & præſertim ſtudeant temperantiæ, ac ſobrietati. Quod ſi quis ægros inviſere teneatur, ad eos adcedat non jejunus, gravem fugiant odorem excrementorum, aeremque ſpiret per ſpongiam aceto madidam, ſibique temperet a deglutitione ſalivæ; Licet enim peſtilens miasma ſubire corpus poſſit per

nares, & bronchia, tamen maxime omnino se se conmiscet salivali latici, & cum hoc ad ventriculum descendit, unde in ipso anthrax morborum funestissimus proficiscitur.

Haud absimile est ingenium, & vis serpentis hemorrhoi, & heritinandel, quorum alter stomacacem, sive tantam in sanguine putredinem, ac dissolutionem parit, ut e naribus, auribusque, imo manuum & pedum unguibus erumpat, alter humani corporis partes ita conrumpit, ut brevi sponte sua lacerentur, & diffluant. Sed præterea inter venena sunt nonnulla, quæ peculiari quadam pollent acrimonia, quæ phlogistica, & caustica dici potest, quippe quæ phlogosim, & gangrœnam parit. Huc præ ceteris revocatur arsenicum, quod proinde perperam adhibitum olim fuit a *Christ. Jacobo* ad febrium curationem, etsi multa aqua dilueretur. Infert enim anorexiam, polydipsiam, alopeciam, ardorem in sterno, tussim siccam, ac demum hecticam, quæ longe pejora sunt febre. A gilla vitriola male præparata eadem contingunt observante *Heersio*. Ejusdem pariter generis sunt sublimatum, cobalthum &c. & inter vegetabilia aconitum, colchyca, cucumerus sylvestris, esula minor, ranunculus &c. Acrimoniam vehementer acidam habent alia, ut spiritus nitri, sulphuris, aluminis, aqua regia, fortis, sublimatum conrosivum &c. Alia pollent acrimonia alkalina, ut cineres vegetabilium, alia humores inspissant, vasa constringunt, meatus obcludunt, secretiones, & excretiones omnes subprimunt exsiccant corpus, atque adeo serius citius lethum inferunt, ut calx viva, gypsum, calx plumbi, cerussa, minium, fungorum nonnulli &c. Alia spiritus ani-

ma-

males adficiunt, nimirum elasticitatem, & motum nimium augent nervei fluidi, vel motum ipsum, & elasticitatem tollunt. Huc referuntur aranea, aspis, vipera, cerastes, scorpius &c. Alia denique sunt, quorum vapor cito subfocat, ut mustum fermentescens, vapor carbonis aliquo loco clausi, fumus sulphuris vapor mephiticus, aer cellarum subterranearum, quæ vocantur tumuli &c. de quibus omnibus consuli possunt *Meadius*, *Lindestolpius*, & Cl. *Brogianus*. In quolibet autem adsumto veneno maxime proderit continuo 20, vel 30 aquæ tepidæ libras exhibere, ut in ea liquoris quantitate sal acerrimus veneni submergatur. Oleum etiam recens dulce adfatim adsumptum præsens remedium est ad omne genus venenorum, idemque dicas de butyro. Vomitus tamen remedium est omnium præsentissimum.

A Lumbricis etiam pati iniuriam possunt fluida corporis animalis. Cum enim ab illorum recrementis chylosus latex inficiatur, atque ita inquinatus sanguini admisceatur, hic utique vitium contrahet, pluresque morbos, & varios pro varia recrementorum indole excitabit. Scilicet si recrementa illa fuerint acria, præsto erunt cardialgiæ, bulimia, cholera, ileus, pleurodyne, vomitus diarrhoæ, dysenteriæ, singultus, tormina ventris, dolores capitis, vertigines, convulsiones, epilepsiæ, atrophia & ut observat Cl. *Tissotus*, dolores in infantibus adeo violenti, & universales, ut ubi vis tangantur, clamores edant vehementes &c. Si vero recrementa illa viscida qualitate donentur, sanguinem ipsum atque adeo totam humorum universitatem iis materiis inficiant, quibus sanguineus idem latex craf-

sior

fior, & vifcidior efficiatur. Ob hanc igitur vifciditatem fieri neceffario debet, ut fanguis in minimis vafculis hæreat, eademque obftruat, & infarciat, atque ita morbos illos omnes creet, qui ab infarctu, & ftagnatione profluunt, cujufmodi funt pleuritides, chlorofes, phrenitides, rheumatifmi, apoplexia, carus catalapfis, mœror, triftitia, infomnia, phantafmata terrifica, typus, hectica febris, aliaque graviffima mala. Adeo verum eft quod celeberrimus Auctor fcripfit, videlicet nullum effe tam peregrinum fymtoma, quod a lumbricis interdum non oriatur. De his autem adnotabimus cum inluftri *Kohnio* vomitiva præ purgantibus valentiora effe ad lumbricos ab humanis corporibus ejiciendos, tum quod brevior eft via, tum quod vehemens motus, quem vomitiva in ftomacho, & inteftinis excitant, aptior eft ad vermes expellendos, fœces, in quibus latent, eliminandas.

Ab indumentis denique vitio adfici poffunt fluida corporis. Si enimvero illius partes, quæ veftimentis dudum adfueverunt, aut denudentur, aut velamentis tenuiffimis contegantur, utique materiæ frigoriferæ facilius, uberiufque cutis porulos permeabunt, præfertim fi frigidum, & ventofum fuerit anni tempus, fluiditas fanguinis minuetur, pluresque morbi ex fufcepto frigore fuborientur. Contra vero craffioris texturæ veftimenta magnam fanguinis folutionem excitabunt, & perfpirationem uberius promovebunt, quæ in dies etiam intendentur fermento veluti quopiam veftibus adfufo. Abforbent præterea humiditatem atmofphæræ, & plus minus retinent pro varia ipforum natura; aliquando vero calorem aeris combibunt, atque ita diverfo modo agunt in vafcula cutanea; Unde intelligere eft, cur intempeftiva hibernarum, aut æftivarum

ve-

vestium mutatio, subitare partium prius tectarum denudatio, vel posthabita etiam tegumentorum ad vicissitudines aeris adcomodatio tot sæpe inferant mala, eaque gravissima, præsertim non absuetis. Denique crebra, vel infrequens indusiorum mutatio adtendenda est. Cum enim illa perspiratis materiis inficiantur, atque adeo quodam veluti fermento saturentur, quo perspirabilis materiæ extractio intenditur, ac promovetur, aperte liquet mutationem indusiorum varie instituendam esse, crebrius nempe iis, qui intensiori, rarius contra iis, qui lentiori gaudent hæmatosi. Præterea cum hæmatosis ipsa sub æstuante cœlo vividius procedat, facile est ex constitutis intelligere mutationem indusiorum crebrius instituendam esse æstivo tempore, rarius hyemali, atque adeo non bene cum ratione consentire locum *Hipp.* in libro de salubri diæta, si tamen hic liber inter germanos *Hipp.* recenseri potest, quo docuit vestes puras hyeme induere oportere, sordidas æstate.

Sunt alia nonnulla, ex quibus extrinsecus advenientibus aliquid detrimenti capere potest œconomiam animalis. Sed cum minoris ea sint momenti, consulto prætermittimus. Consuli tamen de his potest pathologia Cl. *Gaubii*.

Age vero ad relativos, ut vocant, fluidorum morbos expendendos adcedamus. Excedens eorundem fluidorum copia, quam plethoram vocant, hujusmodi morbos constituit. Quod ut intelligatur, illud meminisse juverit plethoram ab hæmatosi quantitative, seu extensive quidem aucta proficisci ob ingentem chylosi liquidi quantitatem aliquo modo in sanguinem conmutatam, sed ta-

men

men intensive inminuta ob infirmiorem solutionem, quam inflammabilis chylosi liquidi substantia suscipit in hæmatosi, atque adeo plethoram necessario fœdere copulari cum majori quantitate acidæ substantiæ in sanguine delitescentis, cumque minori solutione phlogisticæ ejusdem sanguinis materiæ, minori item hujus flexilitate, sed majori cum vasis sanguineis heterogeneitate, ut proinde ad vitiatas ejusdem fluidi sanguinei qualitates, non vero ad vitium quodpiam proportionis revocanda tantummodo sit plethora, ut *Gaubius*, aliique censuerunt.

Multiplex autem est plethora; alia scilicet ad molem, vel ad vasa, alia ad vires, ad volumen alia, alia ad habitum, alia denique ad spatium. Plethora ad vasa tunc habetur, cum plurimus latex chylosus materia præsertim caseosa redundat, & vasa ipsa ob infirmiorem hæmatosim sunt rigidiora. Hanc procreant vitæ genus lautum, otiosum, quo major chylosi liquidi copia generetur, quam quæ in sanguinem rite conmutari possit, & qua vasa majora tumescunt, ac distenduntur. Hinc vero conligi potest plethoram esse in ratione composita ex directa ingestorum, & inversa excretorum, adeoque tanto majorem esse, quanto major est ingestorum quantitas intra datum tempus, ut patet, & minor egestio materiæ egeri solitæ. Cum autem ex observatis *Sanctorii* quindecies plus materiei dato tempore perspiretur, quam per alvum ejiciatur, plethora a cohibita perspiratione cutis toties est major, quam quæ ab alvi constipatione proficiscitur.

Huic valde adfinis est plethora ad vires, ea nempe, cui ferendæ vires naturæ minime omnium sufficiunt. Debetur autem cuivis plenitudini ad summum progressæ, nec maturæ levatæ, ut proinde sarcina fiat viribus major, qua sensus gravitatis, spontanea lassitudo, & torpor ad motus inferatur. Cum itaque in hoc casu fieri non possit, quin vasa distendantur, hinc patet verum esse quod docet *Pitcarnius*, scilicet plethoram ad vires a plethora ad vasa minime discrepare.

Plethora ad volumen rarescenti sanguini, vel aucto ejusdem volumini molem veluti adauctam mentienti, & simul minori canalium dilatationi tota debetur. Calor ingens ab igne, balneis, febribus ardentibus, inflammatoriis, ab aere, exercitationibus, frictione, & similibus in corpore excitatus hujusmodi vitium creant. Debetur etiam indoli sanguinis ad rarescendum idonei, ut in acrimonia alkalina.

Plethora ad habitum exinde profluit, quod chylosus humor butyracea materia redundet, & tunica cellularis adiposa turgeat substantia, nimiumque flexilia sint vasa.

Denique plethora ad spatium, quam dicunt respectivam, ex inminuta systematis circulatorii capacitate proficiscitur, haud pariter inminuta sanguinis quantitate; scilicet sanguis ipse modum excedit, quanquam nec massa, nec volumine augeatur, si spatium, quo contineri debet, contrahatur. Hanc efficiunt solida corporis aut nimium constricta in adcessu febrili vi heterogeneitatis perspirantis materiæ cum villis nervorum, vel ingens, subitumque frigus, terror, aut ipsamet solida,

quo-

quoties ob nimiam rigiditatem libere permeari non possunt; Idem efficiunt solida, si fuerint mutilata. Enimvero cum in iis, quibus membrum aliquid amputatum est, eadem, quæ prius, sanguinis quantitas perficiatur, partes superstites hanc sanguinis copiam, quæ supra legitimam quantitatem est, admittere debent; ex quo conficitur, ut plethora sæpe funesta suboriatur, & nonnisi strictiore diaeta, parco potu, & crebra etiam venæ sectione tollenda, donec corpus nimiæ illi quantitati substinendæ ferendæque adsueverit.

Plethora cujusvis ea sit speciei, sed præsertim plethora ad molem, ad vires, & ad habitum plures edit effectus in perniciem humani corporis tandem erumpentes, scilicet quietem parit fluidi sanguinei in minimis alicujus partis canaliculis, proindeque canalium ejusdem partis obstructionem creat, qua phlogosis excitatur, itemque inminutionem cavitatis vasorum ob polyposas concretiones, quæ in iisdem vasis generantur a materia caseosa, quoties hæc tum ob tardiorem motum, tum ob præpotentem partium adtractionem a rubra parte secedit, & in unum corpus concrescit canalis alicujus cavitatem inminuens. Excitat præterea amaurosim, apoplexiam, asthma, ephialtem, hæmorrhagiam, cephalalgiam, syrigmum, vertiginem, syncopem, synochum, hæmatemesim, aliaque mala, de quibus in praxi.

CAPUT IV.

DE MORBIS SOLIDORUM CONTINENTIUM.

UT de morbis ſolidorum continentium eo, quo decet, ordine differamus, illud conſtituimus tot ſolidorum ipſorum morbos decerni poſſe, quot ſunt morbi, quibus eadem vitiari poſſunt. Hujuſmodi autem ſolida vitium patiuntur, primo dum parietes canalium, in quos ipſamet ſolida conformantur, plus æquo dilatantur, ut in aneuriſmate, quod in ſingulis quibuſque cavitatibus majoribus, minoribus habere locum poteſt, quodque potiſſimum debetur vel inminuto partium tono, & elaſticitati, itemque inminutæ reſiſtentiæ ob laxatam, vulneratam, eroſam in acrimonia alkalina alterutram ex arteriæ tunicis, vel arteriarum diſtractioni a lapſu, & quandoque etiam a valido conatu, vel plurimum auctæ ſanguinis actioni in parietes arteriarum, quia dum ſanguinis impetus increſcit, ille agit in majore ratione contra ſuperficies directe oppoſitas axi earundem arteriarum, quam in parietes ad axem parallelos, vel demum objici alicui, ut grumo, vel concreto polypoſo intra arteriasa adacto, quo fiat, ut magna ſanguini retro adpellenti reſiſtentia opponatur, atque adeo actio ſanguinis in latera eo magis creſcat, quo major eſt vis a corde impreſſa, & quo major inde orta vaſis anguſtia, aut major eſt obex.

Se-

Secundo. Dum orificia nativa inmodice laxantur, & diducuntur, quod sane efficere possunt resolutio sphincterum, quos habent orificia, ut & si ea omnia, ex quibus producitur canalium dilatatio

Tertio. Dum fibræ canalium latera constituentes sic distrahuntur, & a mutuo contactu ita recedunt, ut factis interstitiis exsudare sinant humores, qui contineri debuissent: quod sane malum creant eædem caussæ, quas superius exposuimus, itemque plethora insigniter aucta, simulque velocior excursus sanguinis per suos canales; quippe superata vasorum resistentia a nimia copia, & majore momento contenti sanguinis contactus tunicarum vasa ipsa constituentium perpetuo distrahentis eorundem tandem unitas solvetur, scilicet vasa disrumpentur, quod quidem tanto facilius continget, quanto ad resistendum eadem infirmiora fuerunt, ob imminutam partium nutritionem ab excedenti plethora dimanantem, ex quo tum externæ, tum internæ fient hæmorrhagiæ plurimorum morborum procreatrices. Atque hinc, simulque ex iis, quæ supra diximus de plethora, conligi potest plethoricum hominem bene se se habere posse, & eodem tempore in magno vitæ discrimine versari, ut docet *Hipp.* aph. 3. sect. 1. dum ait; *Boni habitus ad summum progressi periculosi sunt, si in extremo fuerint; Neque enim manere possunt in eodem, neque quiescere: Qum vero non quiescunt non amplius in melius augescere possunt; Reliquum est igitur, ut decidant in deterius ob has caussas bonam habitudinem non tarde solvere convenit, quo corpus rursus renutritionis principium sumat*. Sed præterea eundem morbum creat heterogeneum aliquod in sanguine

 ge-

genitum ; Siquidem in acrimonia alkalina fieri debet , ut ob actionem alkalinæ materiæ contractis nonnullorum canalium tunicis finitimæ partes distrahantur , eo magis , quod inminuta diametro seriei alicujus canalium sanguineorum sanguis ipse dum per alios canales velocius , & uberius fluit , eorum augeat distractionem , atque inde cujusvis generis hæmorrhagiæ ortum ducant . Eadem dicas de acrimonia acida . Monuisse tamen juverit affectiones , quas hactenus recensuimus , non eo usque præter naturam esse , ut in statu etiam sanitatis habere locum possint , nisi modum excesserint , & tunc demum morbis adcenseri posse , cum finem , & modum transeunt .

Quarto . A solutione continui , scilicet ab eorum sejunctione , quæ cohaerere debuerant , quod effici potest a caussa tum physica , ut alio loco demonstratum est , tum etiam mechanica extrinsecus agente , secante , contundente , vulnerante , ut in phlebotomia , amputatione , paracenthesi .

Quinto . Ab obstructione per materiam aliquam in vasis hærentem , eorunque cavitates obcludentem , puta calculum , gypsum , vermes , pus , arenam &c. vel per materiam quampiam viscidam , grumosam , crassam , inflammatoriam , ut in acida præsertim , & alkalina acrimonia contingit . Et quidem sanguis incerto quopiam acrimoniæ alkalinæ gradu spumeum lentorem contrahit , difficilius lentiusque minima vascula preterfluit , eademque obstruit , in acida vero acrimonia eadem ex eo profluunt , quod lymphatica materia in arctiores contactus migrans , & minori idcirco fluiditate donata ineptior fiat ad motum , unde poly-

posæ

posæ concretiones oriri possunt in vasis amplioribus, eorumque proinde cavitates angustari.

Sesto. A constipatione, sive ab angustatione viæ per tumorem aliquem, qui membranæ cavum vasis constituenti ab excrescentia carnis in canalium lateribus superaddatur.

Settimo. A compressione per externum aliquid eorundem canalium membranis incumbens, eorumque sectiones imminuens, aut plane destruens poncujusmodi sunt tumores, ossa fracta, luxata pondera, ligaturæ, potentiæ contundentes, contorquen[illegible] &c.

Ottavo. A crispatura, vel spasmo, scilicet constrictione ob auctam rigiditatem, & contractionem laterum vasa constituentium ab intensiori facto nervei fluidi motu, elasticitate, copia, & inde genito majori momento contractionis.

Nono. A conlapsu, & inanitione canalium.

Decimo. A coalitu, sive consolidatione parietum, quæ cavitates constituunt, quod quidem adfectionis genus infert post continui solutionem obducta cicatrix, callusve, conlapsus, compressio, contractio vehemens, ac diuturna, obstipans tumor, & quandoque etiam obstruens materia, quæ dum interne parietum superficiei adherens solidescit eorundem coalitum efficiat.

Undecimo. Tandem læsionem, & morbum patiuntur solida, cum a naturali, sibique proprio motu recedunt, cum scilicet solidorum motus, vel nimium intenduntur, ut quando peristalticus intestinorum motus augetur in diarrhoea, quo intestinalis excretio sit major, vel quoquo modo iidem

motus depravantur , ut contingit in tremoribus artuum , vel tandem omnino pereunt , ut in syncope, asphyxia , apoplexia.

CAPUT V.

DE MORBIS SOLIDORUM INSTRUMENTARIORUM

Corpus humanum in partibus suis firmis systema est organorum longe diversissimorum , quæ ita a natura fabrefacta sunt , atque invicem connexa, ut varios exserant motus , & actiones . Quoties igitur de naturali statu recedunt , tunc actiones illæ vel inmutentur , vel pereant necesse est , atque adeo plures , & varii excitentur morbi , prout vel pertinent ad substantiam partis in se seorsim consideratæ , vel ad ejusdem cum vicinis conjunctionem. Primi generis sunt continui solutiones , quò subsequentes species revocantur . I. Fractura , videlicet continui solutio iu parte dura , ossea , cartilaginea e caussis mechanicis profecta , ad quam referri potest fissura , præcisio , adritio &c. Has autem parit injuria a vi percutiente , tundente , secante , pungente inlata , quæ major sit ossium cohæsione . Hæc vero mala tanto facilius , sive a levioribus caussis excitantur , quanto partes illæ ex lue venerea , scorbuto , rachitide , carie , acri gelu , senio , vel alio vitio fiunt fragiliores . Non solum autem innumera damna in animalem œconomiam derivantur ex multiplici ossium usu , quem tamen ipsa-

ipſamet oſſa præſtare eidem non poſſunt, niſi fuerint integra, ſed & alia plurima humano corpori inferuntur ex inritatione, diſtractione, preſſione, laceratione &c. quæ ab oſſium fracturis in vicinas partes propagantur. II. Vulnus, ſive continui ſolutio in parte ſolida non dura a vi mechanica proficiſcens, ut ſanguis, vel alius humor ex vaſis effluat, atque huc revocantur contuſio, punctura, ruptura, exciſio, fiſſura &c. quibus omnibus vitiari neceſſario functiones debent, quæ ab integritate partis ipſius profluunt, ſimulque ab humoribus intra cavitates ſuas delitescentibus, & ex naturæ lege circuitum ſuum abſolventibus; unde mirum quot mala in animalem œconomiam redundent. In poſteriori genere vitia continentur incongrui nexus, eaque ad exceſſum, vel defectum revocantur. Excedens tunc dicitur nexus, cum invicem coaleſcunt quæ diſjuncta eſſe oportebat, aut quæ laxius cohærere debuerant, validius, arctiuſque cohærent; ſic digiti, labia, muſculi, viſcera, tendines &c. aliquando ita inter ſe, vel cum vicinis coaleſcunt, ut in ſuis muniis impediantur. Huc etiam referuntur ſymphyſes ductuum oſtiorum, hiatuum naturalium; unde coalitus ad podicem, urethram, nates, genitalia &c. ſuboriuntur. Sæpe etiam articuli ita obrigeſcunt, ut eorum motus inhibeatur, quod vitium anchyloſin veteres nuncuparunt. Oritur autem, cum ligamenta oſſium rigeſcunt, contrahuntur, cum internis partibus coaleſcunt, aut alia de cauſſa vitiantur, vel cum deficit oleum, quo extrema oſſium obliniuntur, aut idem inſpiſſatur, aut alienus humor in articuli cavum effuſus tumorem creat, aut oſſium conmiſ-

furæ rachitica labe tumefiunt, aut intus prope articulum fracti offis callus, exoftofis, vel fungus erumpit, aut ulcus, vel caries late ferpens partium firmitatem, cohæfionem, figuram, levitatemque depravat. Huc etiam pertinet linguæ adftrictio, adeoque impeditus illius motus ob frænulum plus æquo durum, contractumque, vel ob cicatricem ex vulnere, aut ulcere fub lingua relictam; nec non coalitus palpebrarum, vel inter fe, vel cum albo oculi, vel cum cornea, ob interpofitam materiam glutinantem, aut cicatricem obductam. Deficiens contra tunc vocatur nexus, cum aut fejunctæ a fe invicem funt partes quas cohærefcere oportebat, aut inter fe laxius nectuntur quæ arctiori vinculo cohærere debuiffent. Huc pertinent receffus cartilaginum, epiphyfium ab offibus, articulorum infirmitas ob nimiam ligamentorum debilitatem, plus æquo laxior linguæ cohæfio.

Præterea funt adfectus partium in fitu mutato, quæ vocantur ectopiæ, quæque in varia genera dividuntur; funt autem.

Luxatio, fcilicet articuli de fede fua in alienum locum deceffio, qua motus vitiatur, planeque pervertitur, itemque fubluxatio, offis nempe pro parte tantum, nec omnino extra crepidinem fui acetabuli feceffio. Harum autem fucceffionum, quæ tantummodo locum habent in offium articulis diarthrofice, non vero immobiliter combinatis principia, feu cauffæ funt vis externa certe major naturali robore articuli, ut ictus, lapfus, faltus, nifus &c. convulfiva, vel fpafmodica mufculorum contractio, eorundem paralyfes, ligamentorum capfularum articularium debilitas, re-

laxa-

laxatio, dialyſis, elongatio nimia, intumeſcentia, conlectio ſynoviæ lenteſcentis, induratæ, aut etiam ſeri, puris, alteriuſve ſucci in cavis articulorum, acetabulorum intumeſcentia, horumque protuberantia ab excreſcentia, & callo intus erumpentibus, ſchirroideus glandularum mucilaginoſarum tumor, ac tandem capitum oſſis intumeſcentia.

Diaſtaſis, videlicet oſſium, & cartilaginum immobiliter connexorum ſejunctio, vel receſſus ab invicem partialis, aut totalis, cujus cauſſæ ſunt vel externæ, vel internæ. Cauſſæ externæ ſunt ictus, lapſus &c. internæ vero eſſe poſſunt hydrocephalus, narium polypus, protuberantiæ quælibet intus erumpentes, graviditas, partus, lues venerea, ſcorbutus, incrementum inæquale cartilaginum oſſa nectentium, pondera, preſſiones, ſitus, conſtans denique nonnullorum muſculorum hypertoria.

Loxarthrus, ſcilicet perverſio capitum oſſis, & muſculorum adpenſorum, cujus ſaltem præcipuæ cauſſæ ſunt varii motus vehementiſſimi, cartilaginis obducentis acetabulum, vel caput oſſis incrementum majus in uno, quam in altero latere, exoſtoſis partialis acetabuli, materies tophacea totum articuli cavum occupans inæqualiter, vel tantummodo lateralem ejus partem citra anchyloſim, tenſio muſculorum, & ligamentorum major in uno latere articuli, quam in alio ab hæreditario vitio profecta, vel a pravo ſitu in utero, ab oſſibus infantis rudius tractatis ab obſtetricia manu, a mala faſciatione, aut validiori preſſione inter brachia, a pravo demum ſitu, eoque diuturno. Lo-

Loxarthrus tum anisotonicus, videlicet artuum, & maxillæ inferioris deflexio ab inæquali musculorum, ac ligamentorum tensione, itemque loxarthrus intrarticularis, deflexio nempe artuum a mutata partialiter libella superficierum articulatarum, quarum deflexionum caussæ ex dictis haud difficile intelligi possunt.

Enterocele, hoc est hernia intestinorum, cum scilicet intestina e sede sua naturali dilabuntur, & intra cavum alterius partis mollis recipiuntur. Hujusmodi caussæ ad ea omnia referuntur, quibus laxari possunt substentacula, vel claustra interius solvi, qualia sunt ictus externi citra continui solutionem, vulnera, cicatrices iterum dehiscentes, aposthemata, vehementes nisus deorsum directi, serum exsuperans, oleosa, pinguedinosa, usus aquæ calidæ &c. Est autem Enterocele vel umbilicalis, vel ventralis, vel vaginalis. Enterocele sumbilicalis plerumque infantes, & fœminas prægnantes, ac dystocice enixas invadens est umbilici protuberantia, quæ magnitudine variat, quæque ab intestino in peritonæi saccum provoluto ortum ducit; Ventralis est protuberantia, cujus edes plerumque est in linea alba, vel semilunari, vel supra anulos, & arcus circulares. Hanc parit intestinum laxatas aponeuroseon fibras, & peritonæum agens in sinum, vel eundem peritonæi saccum trans diductos musculorum fasciculos cogens. Utraque tamen Enterocele oriri etiam potest a ruptura peritonæi, quam creant solutio excitata a penetrantibus imi ventris vulneribus tum adcidentalibus, tum artefactis, ab apostemate, a cicatricibus iterum dehiscentibus. Denique entero-

cele

terocele vaginalis eſt protuberantia albida, mollis vaginam primum occupans, deinde vero labia vulvæ ſupereminens inteſtino ulterius provoluto. Hæc ab inteſtino ipſo formatur, quo vaginæ parietes multiplici partu labefacti, laxatique vim patiuntur, & extra idcirco excedunt.

Epiplocele, ſeu herniosa protuberantia ab omento effermata per ingoinales anulos, arcus crurales in anulo umbilici trans vaginæ parietes, vel abdominis muſculos elapſo. Iiſdem cauſſis debetur epiplocele, quibus enterocele, iiſque addi poteſt nimia omenti pinguedo, ejuſque ruptura ad ſuperiora.

Gaſtrocele, ſive hernia ventriculi; Hanc facit ventriculus ipſe trans laxatos, diductos epigaſtricæ regionis parietes, quin & per anulum umbilici elapſus ad diſtantiem duorum digitorum tranſverſorum a cartilagine xyphoidea. Hujus caſſæ ſunt vehemens vomitio ſpontanea, vel ab emetico procurata, vehemens item editus nixus in ponderibus elevandis, violenta ſcapularum retractio ad poſteriora, aliaque hujuſmodi.

Hyſterocele, ſcilicet hernia uteri. Haec efficit ipſemet uterus trans inguinales anulos laxatos diductoſque inferioris medietatis imi ventris parietes elapſus; Dividitur in inguinalem, & ventralem; Utriuſque vero cauſſæ ſunt ictus validi in ventrem, vehementes editi niſus, prægreſſa ſolutio peritonæi a vulnere, aut abſceſſu curatis præſente vel adcedente graviditate.

Cyſtocele, hernia ſcilicet veſicæ urinariæ. efficitur cyſtocele a veſica ipſa trans inguinales anulos ſub arcubus cruralibus, & per laxatos,

didu-

didućtos perinæi, hypogaſtrii, & vaginæ parietes elapſi, & in inguinalem, cruralem, perinæalem, hypogaſtricam, & vaginalem dividitur, quarum omnium cauſſæ ad ea omnia revocantur, quibus laxantur fibræ, earumque tonus infringitur lenta, vel ſubita diſtraćtione. His adcenſeri poſſunt ampliatio parietum veſicæ ab urina retenta, ſingularis veſicæ figura ab utero efformata durante graviditate, traćtio ab aliis viſceribus prolapſis, diſtentio, debilitatio que parietum vaginæ a multiplici partu, fibrarum denique muſcularium tum veſicalium, tum veſicæ circumpoſitarum ſeceſſiones ab invicem a diſtentione prodeuntes.

Encephalocele, ſive hernia encephali. Hanc parit cerebrum, cerebellum, aut utrumque per hiatus oſſium cranii non penitus in ſubſtantiam oſſeam obrigeſcentium prorumpens, ejuſque causſæ ſunt mollitudo nimia oſſium cranii, ejuſque mollitudinis inæquabilitas, hydrocephalus, partus difficilis, ac diuturnus, & preſſio quæcumque externa major in una cranii parte, quam in reliquis.

Exania, ſcilicet ſphinćteris ani, & inteſtini rećti inverſi procidentia. Hanc faciunt planćtus, clamores, dejećtio fœcum duriorum cum ingenti conatu, fluxus alvi, creber acriorum purgantium uſus, hæmorrhoides, aſcarides, ulcera, calculi, dyſtocia, diſciſſio muſculorum ani levatorum in lithotomia, ſeſſio diuturnior in ſellis perforatis &c.

Exocyſte, ſive procidentia membranæ tum veſicæ corpus, tum ipſius collum interne obveſtientis faćta per meatum urinarium. Eam pariunt

riunt ureteres in sua insectione obstructi, dystociæ, verbera in ventrem &c.

Hysteroptosis, nempe uteri, vel vaginæ inversio. Proficisci potest inversio uteri a partu, a polypo, ab excedente menorrhagia, aut leucorrhoea, ab obesitate, a vehementi edito nisu, nec non a tumefactione, & scirrho uteri. Inversio autem vaginæ pendere potest a gestatione ponderum graviorum, a dejectione fœcum cum conamine, ab incessione nimia, a duriori vaginæ tractatione, diuturna leucorrhoea, dystocia, a neglecto decubitu post partum &c.

Huc etiam pertinent parorchidium, serior nempe testiculorum descensus, vel retractio, hysteroloxia, seu obliquatas uteri, paraglosse, scilicet linguæ in fauces revolutio, vel extrusio ab ore, hypostaphyle, seu prolapsus uvulæ, exopthalmia, sive bulbi oculi procidentia, de quibus consule Viros Cl. *Gaubium*, & *Sauvagesium*.

CAPUT VI.

DE SEMINIS MORBORUM.

SEminia morborum eas humano corpori insitas dispositiones adpellamus, quibus excitantur morbi, quoties potentia nocens analoga adcesserit. Hujusmodi morborum seminia sunt vel naturalia communia, vel naturalia propria, vel præternaturali. Ad priorem classem revocantur præ ceteris

cohæ-

cohæſio partium humani corporis, earumque nexus haud inſuperabilis, multitudo fluidorum, eorumque multiplex modus, & indoles facile variabilis, fibrarum inritabilitas, numerus ingens, ſubtilitas inſignis, & implicatio mira canalium, ſuperficies undique patens porulis, & meatibus, ſtatæ demum leges mutui inter mentem, & corpus commercii. Ad alteram claſſem referuntur ea omnia, quæ propria ſunt cuivis homini ex inſtituto naturæ, quibus efficitur, ut alii ſint præ aliis ad certos quoſdam morbos ſuſcipiendos procliviores. Ad hunc item locum pertinent ætates, ſexus, temperamenta, & pathemata. Ad poſtremam vero claſſem præſertim ſpectant adfectiones, diſpoſitioneſque tum in utero matris contractæ, tum ex lacte nutricis obortæ, debilitas, rigiditas, inritabilitas, & torpor partium ſolidarum, vitia fluidorum, plethora, non nulli morbi ſolidorum, tum continentium, tum inſtrumentariorum, de quibus ſupra egimus.

CAPUT VII

DE SYMTOMATIBUS SINGULATIM.

Cum in ſymtomatibus præcipuus lateat fons, ex quo ea omnia depromuntur, quæ faciunt ad morbi naturam, diagnoſim, & prognoſim eruendam, neceſſe eſt, ut Medicus ſingulorum cauſſas, ſedes, variaſque relationes ad morbum per-

ſpe-

ſpectas habeat, ut iiſdem uti legitime poſſit, ſimulque ad perfectam cognitionem morborum compoſitorum pervenire, utpote qui ex diverſa ſymtomatum concurſione coaleſcunt. Licet autem ingens ſit ſymtomatum numerus, refertur tamen commode ad ſymtomata in qualitatibus ſenſibilibus alienatis, ſeu præter naturam adfectis, quæ dicuntur ſymtomata in qualitate mutata, ad vitia excretorum, ad ea ſcilicet omnia, quæ vel retinentur in corpore, vel excernuntur, quæ vocantur ſymtomata in excretis, & retentis, denique ad actiones corporis læſas, & nuncupantur ſymtomata in actione læſa. Ad priorem claſſem revocantur.

Color cutis, quem præſertim mutant interceptus, vel nimius humorum influxus, eorum fuſio a materiis acribus, pungentibus profecta in fibras cutis plus minus agentibus, vitioſum aliquod in ſanguine genitum fermentum, aut materia per morſum venenati animalis in ſanguineos canales transfuſa, quibus a ſanguinea maſſa ſolutis ſerum ipſius ſanguinis præternaturali colore inficitur, humorum ſecretiones impeditæ, eorundem corruptio, adfectus animi &c. unde omne genus morboſæ decolorationis explicari poteſt, ſive decolorationes ipſæ in univerſo corpore ſedem habeant, ut contingit in morbo regio, hepatico, ſplenico, leucophlegmatico, & hujuſmodi, vel in una tantum, aut in pluribus ſimul partibus, dum inflammatione, abſceſſu, gangrœna, carbunculo, eryſipelate &c. adficiuntur.

Graveolentia acida, rancida, putrida de corpore erumpens. Eam creat, ut alibi diximus, he-

terogeneum, vel acre in sanguine genitum, vel putrida solutio in corpore inchoata, cujus theoria ex iis, quæ alio loco declarata sunt, intelligi facile potest.

Calor corporis ultra modum auctus. Excedens hic caloris gradus hæmatosim ponit intensive auctam, indolem sanguinis inflammatoriam, heterogeneum, vel acre alkalinum, aut oleosum in illo genitum, auctum vitalem motum tum ab inritamento extrinsecus inlato, tum intus excitato, & pro sede, numero, intensitate, duratione conditionum concurrentium plus minus se se intendente, & vel corpus universum, vel unam tantum partem adficiente. Quos autem pariat effectus alibi dictum est.

Frigus, quod hæmatosim ponit intensive inminutam, adeoque acrimoniam acidam in sanguine luxuriantem, motum vitalem inminutum, & similia. Hujus autem effectus aliunde repeti, & explicari possunt.

Durities, elasticitas, siccitas partium morbosa. Hujusmodi adfectiones oriuntur ab alkalina sanguinis acrimonia. Cum enim sanguis ipse in acrimonia illa stimulantem indolem, naturamque contrahat respectu fibrarum, quas adluit, consequens est, ut in alkalina, itemque oleosa acrimonia componentes solidorum particulæ contrahantur, earumque proinde durities major fiat; elasticitas vero adhuc etiam intendatur, idque tanto magis contingat, quod ob auctam hæmatosim nimia aqueæ materiæ copia extrahatur, unde siccitas proficiscitur, & nutrientis materiæ consolidatio promovetur. At in certo quopiam, eoque

que infimo acidæ, & similium acrimoniarum gradu minor fieri debet earundem fibrarum muscularium durities, elasticitas, & siccitas, nisi forte in illis fluidum vehiculum deficiat; Quippe sanguis, qui in acida acrimonia ad summum progressa plurimum heterogeneus evadit relate ad fibras ipsas, sive cum illis vix, ac ne vix quidem adtrahitur, refracta, inminutaque eadem acrimonia minus fieri debet heterogeneus, scilicet ab iisdem fibris aliquantum adtrahi, unde minor illarum durities, elasticitas, siccitasque profluit.

Lævitas superficiei corporis vitiata. Hanc præ ceteris creat senium. Et quidem in senibus cum nutritio imperfecte, ut alibi diximus, perficiatur tum ob languide procedentem hæmatosim, & nutrientem idcirco laticem minus perfecte elaboratum, minusque solidis partibus homogeneum, tum ob perennem fluidarum, & humectantium substantiarum exhalationem, hinc fieri debet, ut musculares substantiæ integumentis subpositæ mole undique minuantur, nec amplius valeant ad integumenta ipsa, ut par est, distendenda, atque hæc proinde in plicas, & quasi sulcos contrahantur. Eandem etiam efficiunt integumenta in callum durescentia, sive cuticulæ incrassatio a lamellis sibi invicem adpositis, dum vascula a pressione quacumque, & compressione concrescunt, & indurantur, cicatrices, sive solutionis continui restaurationes, & concretiones per filamenta vasculosa prius discissa, erosiones ab acri materia, multiplices, & variæ eruptiones &c.

Tumorum omne genus aut universam corporis superficiem, aut aliquam tantum partem ad-

ficientinm. Oriuntur autem tumores ab humorum effusione, rarefcentia, congestione, obstructione, adfluxu nimio in partem, refluxu impedito, fractura, luxatione, herniis, prolapsu, mala conformatione, exostosi, fungo, sarcomate, condylomate &c.

Gracilitas denique corporis, vel partis singularis. Pendet hæc ab inopia succorum, a deficienti eorum influxu, & præsertim fluidi nervei, solidorum contractione, evacuationibus excedentibus, e languida, aut cessante circulatione, vi vitæ exsoluta, metastasi, gangrœna &c.

Quoad vitia excretorum observandum est hæc tripliciter peccare, scilicet aut tota substantia, aut toto genere, aut quantitate, aut qualitate. Ad excreta toto genere, præter naturam revocantur I. Ea omnia, quæ nullo pacto dici possunt naturalia corporis elementa, ut pus de nonnullis corporis partibus effusus, variæ concretiones, & alia hujusmodi. II. Quæ præternaturali ratione e corpore eliminantur, ut dum fœces intestinales per vomitum rejiciuntur. III. Quæ excernuntur, dum contra retinenda fuerant in corpore, ut cum sanguis ejicitur vel per nares, vel per os, vel per alvum, vel per urethram &c. unde illud habetur Medicorum effatum, *profluvium sanguinis, quomodocumque fiat, excretionem esse toto genere præter naturam*. Et sane exitus sanguinis e corpore enunciat insigne aliquod adesse corporis vitium præsertim aperitionem vasorum, eorumque erosionem, & similia. Et quamvis interdum contingat, ut per hanc hæmorrhagiam animale corpus ab aliquibus morbis explicetur, id tamen nihil obstat,

quo-

quominus excretio ſanguinis, ut eſt excretio, mala ſit; fluxus quippe ſanguinis, quibus nonnunquam judicantur morbi, ſunt fluxus ſanguinis a naturali conſtitutione recedentis, praviſque humoribus inquinati, ex quibus tamen vires corporis infringuntur; Hinc illud requiritur maxime, ut Medicus in hiſce fluxibus cautione, & ſolertia utatur, illudque præſtet, ne excretiones ipſæ modum excedant, viresque debilitent. Qualitate vero multipliciter peccant excreta, scilicet colore, odore, fluiditate, viſciditate, duritie &c. ut dum alvinæ fœces duriores, aut liquidiores, quam par eſt, excernuntur, nec recte coloratæ, ſed modo flavæ, modo albæ, modo cineraceæ, aut alterius morboſi coloris, & ſic de ceteris. Demum quantitate peccant excreta, cum majore, aut minore copia e corpore expelluntur. Retenta vero morboſum effectum ex eo tantum conſtituunt, quod vitioſe detineantur in corpore. Sed de excretis, & retentis vide quæ alibi dicta ſunt.

Denique actiones læſas quod adtinet, plurima hic nobis ſe ſe obferunt conſideranda; et 1. dolor. Intelligitur hoc nomine non ea tantum ſenſatio vivida, ac moleſta, quæ ex diſtractione profluit fibrarum nervearum, cum ſcilicet partes ſenſu dotatæ vi externa, internave diſtrahuntur ſupra, quam ferre commode valeant, aut percuſſione, compreſſione, contuſione, ſtrictura, vulnere, contorſione læduntur, aut acrimonia aliqua ſtimulantur, nimiave liquidorum homogeneitate eroduntur, ſed quidquid etiam animam adficit, angit, vexat ex corporis adfectione dimanans. Hinc innumeros morbos, ut ſymtoma comitatur,

 præ-

præfertim vero morbos cavitatum excedentium, inminutarum, deficientium, fracturas, luxationes, hernias, procidentias, tumores, plethoram, cujuflibet generis acrimoniam, vitiatos fluidorum motus &c. fi vehemens fit dolor inquietudinem excitat, pervigilium, angorem, laborem, delirium, ecclampfiam, inritamentum in parte adfecta, tenfionem, fpafmum, majorem humorum adfluxum, congeftionem, difficilem tranfitum, calorem, inflammationem, gangrœnam, frigus, torporem, infenfibilitatem, refolutionem &c. & ob mutuum cum aliis partibus confenfum dolores in illis creat, fpafmos, paralyfim, perturbationem vitalis circuitus fluidorum, febrim, fyncopen, & plura alia mala. Huc revocari poteft pruritus, fenfatio nempe dolori proxima qualis adcidit in multis morbis exanthematicis, ut rubeola, variolis, fcarlatina, fcabie, tinea, herpete, pfydracia, aurigine, uno verbo quam infert multiplex acrimonia, itemque pruritus ille, vel ftimulus, quo ægrotantes ad fternutationem, tuffim, ofcitationem, pandiculationem, excretiones urinæ, alvi &c. compelluntur. Referri huc etiam poteft anxietas, moleftiffima nempe fenfatio ex difpofitione corporis oriunda; fcilicet invadit anxietas, quoties impeditur excretio materiarum excernendarum, puta lotii, alvi, fanguinis, fudoris, perfpirabilis Sanctoriani &c. vel quoties natura molitur criticas evacuationes, vel nitimur extraneas materias, & noxias e corpore eliminare, ut calculum, venena, flatus conclufos &c. Oriri eadem quoque poteft ab inmeabilitate fanguinis per cor finiftrum, & majores arteriæ ramos

mos in morbis acutis, febrilibus, vel per dextrum & ramos arteriæ pulmonaris ab infarctis canalibus sanguineis tum arteriosis, tum venosis in morbo acuto pulmonum, vel ab impedito transfluxu per venam portarum in morbo acuto febrili, vel ab objice circulationi opposito intra, aut prope cor existente, ut polypo, coagulo sanguinis, aneurismate &c. Eam pariter excitat multiplex vitium pulmonis, infarctus nempe, spasmus, tumor, ulcus, vomica, compressio extrinsecus orta a sanguine, pure, tumore, aut alio thoracis adfectu, vitium item diaphragmatis, & musculorum respirationi famulantium, excedens denique aeris calor, levitas, humiditas &c. nec non varia ejusdem labes, & inquinamentum puta a fumo sulphuris, a vaporibus vitriolicis &c. sed & vehementem præcordiorum, & stomachi anxietatem pariunt hystericus, & hypocondriacus morbus, præsertim si mulieres hystericæ, & homines morbo hypocondriaco laborantes per cathartica acria exagitentur, cujus quidem anxietatis caussa non alia est, quam tensio supra modum aucta membranarum, ex quibus nervi coalescunt. Denique ingens excitatur anxietas, dum vis vitæ labare incipit, pendetque a debilitate nimia naturæ, quæ non amplius sufficit resistentiis circulationi oppositis superandis.

II. Tactus læsio, quæ vel inminutionem ipsius, vel nimium acumen complectitur. Inminuitur tactus a nimia cutis rigiditate, laxitate, vasculorum ejus contractione, infarctu, contusione, gelu, igne, gangræna, epidermide indurata, incrassata, aut a subjecta cute ob interpositum se-

rum, pus, ſanguinem ſejuncta. Nervi quoque ſenſum tactus minuunt, ſi vel quomodocumque comprimantur, contundantur, vulnerentur, erodantur, extenuentur, exſiccentur, emolliantur, ab uſu narcoticorum, & ſimilium ſubſtantiarum adficiantur, aut denique a materia morboſa ſic inficiantur, obſtruanturque, ut ſpiritus animales per eoſdem fluere non amplius poſſint. Contra vero tactum acuunt, adtrectationemque vertuut in dolorem vulnera, inflammationes, abſceſſus, contuſiones, dolores hyſterici, podagrici, ſpaſmi, involcrum denique organorum vel nimis tenue, vel plus æquo tenſum, vel avulſum.

III. Guſtus læſio ad inminutionem pariter ipſius, vel nimium acumen referenda. Utrumque vitium ab iiſdem fere cauſſis, quas ſupra expoſuimus, proficiſci poteſt. Profecto nullius, aut ſaltem remiſſioris ſaporis ſenſus a corporibus excitatur, ſi involucrum linguæ ita craſſum fuerit, ut ſalinæ particulæ ad nerveas papillulas pertingere non poſſint, ut patet, vel ſi nimis areſcat lingua ipsa, vel nimio obducatur humore ſalivali, vel humor ipſe non naturali modo ſe ſe habeat. Et quidem deficiente humore ſalivali deeſt menſtruum, quo ſolvantur neceſſe eſt ſalinæ corporum particulæ, ut linguæ poros ſubire poſſint. Contra vero ſi nimius ſit oris humor, ſolvuntur quidem ſalinæ illæ particulæ, ſed eidem menſtruo innatant ita diſtractæ, ut in nerveas linguæ papillulas agere vix poſſint. Quod ſi humor ipſe vel amarus fuerit, vel dulcis, ut in ſcorbuticis, vel alia quacumque labe inficiatur, amaritiei quoque, vel dulcedinis &c. ſenſationem efficiet. In-

ter-

terdum etiam salivalis humor minimam vim habet, ut proinde impar sit salinis materiis dissolvendis, quemadmodum in nonnullis fluxionibus, & in nimia linguæ mucositate contingit. Linguæ paralysis, delirium, morbi quicumque soporosi facultatem subprimunt, qua diversi sapores percipiuntur.

IV. Olfactus læsio. Hic pariter sensus ex caussa morbosa quandoque acuitur, sæpius vero obtunditur, & aboletur. Acuitur olfactus, si membrana narium oblinientis muci defectu nimium tendatur, vel morbi tum acuti, tum chronici ita nervulos adfecerint hujusce sensus proprie, vel universum systema sensorium, ut nervorum substantia flexilior fiat, mollior, rarior, nerveique fluidi elasticitas intendatur. Hinc maxime occurrit in hystericis, hypocondriacis, & hydrophobis. Obtunditur contra, & aboletur a nimia ejusdem membranæ pituitariæ siccitate in febribus, morbisque inflammatoriis, hujus mucositate nimia, ut in coryza, infarctu, ut in ozaena, obstructione narium, ut in polypo &c. ab usu nimio tabaci præsertim hispanici, ab inspiratu tenuissimi, aridique pulveris, quibus fibrillæ nerveæ exsiccantur, a morbis quibuscumque soporosis, paralyticis, a contumaci nervorum olfactoriorum obstructione, compressione. Depravatur præterea olfactus, quoties ejus organum ob olente materia adficitur, puta muco, ichore, pure, a randicis, putridis conruptis &c. in cavernis narium, in pulmonibus, trachea hospitantibus.

V. Auditus læsio, ad quam refertur 1. dysecaea, hoc est audiendi difficultas ob sonorum obscu-

ſcuritatem. Vitioſa organi ſtructura, qua debilitatur, aut impeditur tranſmiſſio undarum ſoni ad labyrinthum, dyſecaeam parit. Hinc defectus alterutrius, vel utriuſque auriculæ, obſtructio meatus auditorii a tumefactis alvearii glandulis, a congeſto induratoque cerumine, a peregrinis in meatum ipſum inlapſis corporibus, itemque atonia myringæ, ſeu membranæ tympani a prægreſſo catharro, ab excepto vento humido, otirhaea ſeroſa, ejus pariter durities a ſenecta, a glandulis tumidis, viru ſyphilitico, eroſio a pure, fiſtula tympani a carie oſſium ipſius tympani, hujus hydrops, obſtructio tubæ a quacumque cauſſa ſunt totidem principia dyſecaeæ. 2. paracuſis barycoja, vel gravitas auditus, nempe adfectus, in quo ea, quæ altiori voce proferuntur, aures confuſe, & vehementer percellunt, at non intelliguntur. Pendet hic adfectus a rigiditate, craſſitie, infarctu rheumatico muſculorum mallei, & ſtapedis. Sic enim, ut docet *Sauvageſius*, adfecti muſculi myringam, & feneſtram ovalem aptare, ac tendere non poſſunt ad eum gradum, qui reſpondet tono chordarum vocalium loquentis, nec cuiquam ex illius harmonicis altioribus tono loquentis. 3. Parcuſis oxycoja, ſumma nempe ſenſilitas auditus, quam ſoni intolerantia ita comitatur, ut inde dolor, convulſio, delirium, & animi etiam defectio ſuboriatur. Debetur hic adfectus nimiæ tenſioni, ſiccitatique organi acouſtici, cerebri, nervorum, membranarum, nimiæque fibrarum irritabilitati. Hinc maxime recurrit in morbis harumce partium acutiſſimis inflammatoriis, ſpaſmodicis, doloroſis, in mania, melancholia, & in hyſtericis, hypo-

con-

condriacis, vigilantibus &c. IV. Demum cophosis, obscura nempe sonorum omnium perceptio, sive impotentia sonos quoscumque percipiendi. Oritur hic adfectus ab obturatione meatus auditorii externi, sive cerumen aurium copiosum, & inspissatum vices gerat obstaculi, sive inladsa corpora meatum ipsum obstruxerint. Oritur etiam ab obturatione tubæ Eustachianæ ob tumores in illius exitu versus nares posticas, vel ob evalitionem, aut incrassationem parietum hujusce tubæ ab exulceratione profectam, vel etiam ob sordes mucosas, viscidasque eandem infarcientes. Oritur denique tum a membrana tympani introrsum depressa, aut plane rupta ob ingentem fragorem, unde *Aristoteles* sapientissime pronunciavit a magnis nimium sonis fieri surdastros, vel nimium rigida ob susceptum frigus, vel nimium laxa ob excedentem aeris humiditatem, tum ab abscessu varioloso, tum a syphilitide inveterata auriculam, & ductum auditorium inficiente, ibique siccos herpetes excitante, &, quod deterius est, tubam exulcerante, obturante, obliterante, inque aure media, & interna exostoses efficiente, tum denique a sero exundante, a comate, ab amisso utroque malleo, & alrera incude, aliisque caussis, de quibus consulantur Auctores.

VI. Visus læsio, ad quam refertur 1. glaucosis, vel cataracta, scilicet visus abolitio, quæ sensibili opacitate pone pupillam conspicua stipatur. Hanc præ ceteris inferunt crystallinum intus subpuratum, hujus a nativa sede dimotio, vitrei dissolutio in rerum subluteum putre &c. 2. Caligo, hoc est visus inminutio partialis, vel totalis

ob

ob repagulum opacum oculo citra pupillam inhærens. Eam præsertim creant palpebræ superioris coalitus cum oculi globo, vel palpebræ superioris cum inferiori, lapsus palpebræ ipsius superioris ob resolutionem musculi palpebram adtollentis, ita ut corneam obumbret, ejusdem incrassatio a tuberculis, verrucis, excrescentiis &c macula sublucida corneæ ob guttulam aquæ inter corneæ lamellas congestam, aut lympham opacatam, ut post variolas, & ophthalmiam contingit, cruor effusus intra cameras oculi, conrugatio corneæ, hujus hernia, sarcoma, cancer, lupia &c. 3. amblyopia, seu visus habetudo. Hunc morbum efficit rerum in sanguinea massa redundans, & organa visus, ac præcipue retinam adficiens, & laxans, hujus minor sensibilitas, rigiditas uveæ, hydropthalmia &c. 4. Myopia, visionis nempe vitium illud, quo objecta paulum dissita confuse, proxima vero distincte cernuntur. Hujusmodi vitium inde profluit, quod radiorum lucis adunatio fiat antequam ad retinam pertingant, seu radii una simul coeant pone crystallinum. Pluribus autem de caussis coire possunt radii pone crystallinum, antequam pervenerint ad retinam, & ad sequentes revocantur, scilicet ad majorem vim refringentem aquei humoris, & crystallini; ad distantiam retinæ majorem a cornea, & crystallino; ad distantiam nimiam objectorum; ad nimiam pupillæ dilatationem, & foecum proinde lenti proximiorem; ad corneam demum nimis convexam, ut & ad faciem externam crystallini, quæ omnia constant ex opticis. 5. Presbyopia, visionis nempe contrarium priori vitium, quo nimirum pro-

xima

xima confuse, remota distincte cernuntur. Vitium hoc ex eo nascitur, quod serior fiat adunatio radiorum a proximis objectis emanantium, scilicet ultra retinam. Serior hæc radiorum adunatio ex caussis profluit, quæ myopiæ caussis contrariæ sunt ut per se patet. 6. Luscitas, visionis scilicet vitium illud, quo objecta e directo oculis obversa confuse, oblique vero oculis oblata distincte cernuntur. Luscitas adcidit, vel quia pupilla oblique posita est, ut propterea plures excipiat radios obliquos, quam directos, vel quia oblique situs est crystallinus, ejusdemque axis non est idem cum axe oculi, vel quia convexitas, aut pelluciditas corneæ depravata est, ut plures idcirco radii ab alterutro latere excipiantur, quam si directe adcederent, vel tandem quia polus nativa caret sensibilitate, quo efficitur, ut aliorsum dirigere visum cogatur luscus, ut acutius videat. His luscitatis principiis originem quandoque præbent partialis adhæsio palpebrarum, variæ strabismi species &c. VII. Amaurosis, nimirum subpressio, vel abolitio visus. Hujus principium est inmeabilitas nervorum opticorum sive in thalamis, sive in tota retina, sive in tractu compressus fuerit, vel obstructus, vel resectus nervus a cerebri læsione, fractura, contusione, vulnere, spasmo, scirrho, tumore, hydrocephalo, vel alia qualibet læsione. Hujus pariter principium esse potest lux ipsa subito inruens, fulgentesque radios undique circumfundens, ut ostendit crudelissimus ille mos Dionysii Siculi captivos excaecandi. 8. Vertigo, seu visionis depravatio illa, in qua circumfusa objecta licet inmota videntur tamen in gyrum

verti

verti. Caussa vertiginis est quidquid retinam; vel opticorum nervorum truncos concutere valet, proindeque a nimia sanguinis copia, & rarescentia, ab intercepto hujus fluxu per quosdam cerebri canales, a validiori, uberiorique ejusdem motu versus superiora, ab ictu, a concussione coronam ciliarem spasmodice constringente, a venenis, & a vehementiori nervorum inritatione proficisci potest. 9. Strabismus, hoc est adfectus tonicus alterutrius oculi, quo efficitur, ut alter axis opticus cum altero minus convergar ad visionem. Strabismus pendere potest a debilitate alterutrius oculi, ab altero musculo unius tantum, vel utriusque oculi convulso, a paralysi similis indolis in alterutro musculo. 10. Tandem suffusio, sive hallucinatio visus circa objecta, & diblopia, seu visus duplicatus huc pariter referuntnr. Hujusmodi fallacias creant mala præsertim spasmodica, paralytica cerebrum, nervos opticos, retinam, & oculorum musculos adsicientia. De his vide inlustrissimum *Sauvagesium*.

VII. Sensuum internorum læsio, sive delirium. Definitur autem delirium error mentis judicantis a vitio cerebri proficiscens. Quæ igitur corporis callosi, generisque nervosi tenorem, itemque nervei fluidi motum, elasticitatem, & copiam variare possnnt, ea omnia maxime valebunt ad delirium excitandum. Hujusmodi sunt morbi graves diu potracti, evacuationes nimiæ, vehementes, diuturnique motus animi, pervigilium, sanguis tenax, crassus, & expers aquei vehiculi, siccitas, rigiditas, infarctus fibrarum sensorii, intensior humorum circuitus sursum directus, ni-

mia

mia fibrarum nervearum inritabilitas, cerebri compreſſio, conmotio, fractura, vulnus, abſceſſus, hydrocephalus, mala apopletica, epileptica, hyſterica, venena, imaginationis demum organa non bene evoluta. Hujus ſpecies ſunt paraphroſyne, amentia, melancholia, mania, de quibus conſulantur Auctores. Huc pertinet amneſia, quam pariunt uſus veneris inmodicus, ſenium, vulnus capitis, percuſſio, febres acutæ, diuturnus capitis dolor gravativus, pathemata, plethora, temulentia, opium, & venena dementantia. Huc denique ſpectat & agrypnia, quam fovent acrimonia, arthritica, pathemata, mala hyſterica, hypocondriaca, contumaces capitis dolores, ſenſationes omnes moleſtæ, febres, indigeſtiones, ſenium &c.

VIII. Motricis facultatis læſio, quo revocantur. 1. Tetanus, inſignis nempe, & conſtans totius corporis rigiditas cum reſpiratione difficili, & ſenſuum integritate. Rigiditas hæc ab auctis nervei fluidi motu, elaſticitate, & copia proficiſcitur, atque adeo ab aucta vi contractionis in partibus muſcularibus; Unde intelligitur tetanum oriri etiam poſſe a cauſſis extra caput agentibus, ex gr. a vermibus ob conſenſum ſyſtematis nervoſi, ut præ ceteris obſervavit *Bilfingerus*, qui tæniam ſæviente tetano eduxit ope pulveris a *Medio* celebrati. *Sauvageſius*, qui varias tetani ſpecies enumerat, hujus morbi cauſſis coagulationem etiam ſanguinis muſculos adluentis adcenſet. 2. Convulſio, motus nempe ſpaſmodicus clonicus in artubus. Plura ſunt, quibus originem debet ſuam convulſio, puta inanitio, punctura nervi, capi-

tis

cis ictus, hydrocephalus, masturbatio, inritantia omnia. 3. Paralysis, seu unius tantum artus, aut articuli inmobilitas. Hujus caussæ sunt quæcumque motum nervei fluidi per suos canales, vel musculorum texturam vitiare potest, ut propterea musculus minus sit aptus ad contractionem. Hoc autem vitium creant plethora, aneurismata, fumi arsenicales diversorum mineralium intus excepti, vulnera, ulcera, ictus nervum partis solvens, materia rheumatica, biliosa, virus schrophulosum, scorbuticum, serum exundans, mora in locis humidis, recenter extructis, intempestivus aquarum mineralium potus &c. Huc referri possunt hemiplegia, paraplexia, tremor, rigor, pandiculatio, carphologia, quorum sane morborum caussæ ex dictis haud ægre intelligi poterunt.

IX. *M*otuum vitalium læsio, quo referri primum potest læsio respirationis. Hanc parit angustata cavitas cellularum pulmonis, aut bronchiorum, omniumque canalium, quos aer ingreditur quod sane ex pluribus caussis pendere potest, scilicet a vitio cordis, arteriæ magnæ, aut pulmonalis, venarumque insigniorum, quæ in thorace continentur, a calculis, aut tuberculis in pulmone genitis, a lympha, sanguine in canalibus pulmonum hærente, aut in cellulas exundante, a plethora, infarctu viscerum hypocondriacorum, a vomica, a contuso, icto thorace, a gastrocele ab hydrothorace, a pinguedine, ab empyemate, a fumo sulphuris, a vermibus, ab inanitione, aliisque. Varias hujusce vitii species enumerant Practici. 1. Palpitatio cordis, vel motus ejusdem convulsivus, frequentissimus, ac vehementissimus.

Ori-

Oritur hoc vitium ab intercepto fluxu sanguinis ex cordis ventriculis, ejusque intercepti fluxus caussa, vel spasmus est ab hysterica, aut hypocondriaca adfectione dimanans, aut excedens sanguinis copia, ejusque nimius fervor, aut dilatationes cordis, pulmonum, aut aduexorum canalium aut polyposæ concretiones, aut abscessus pericardii, vel denique aorta, ejusque valvulæ in osseam substantiam conversæ. 3. Læsio pulsuum arteriarum in eo consistens, quod pulsus ipse a naturali statu recesserit seu vitio cordis, seu sanguinis, seu arteriarum. Sed de his legi possunt quæ alio loco a nobis explicata sunt.

X. Actionum naturalium læsio, ac primum famis. Atque huc pertinet bulimia, seu fames nimia respectu adpetitus majoris alimentorum copiæ, quam quæ digeri possit. Hujus causa est morbosa fibrarum ventriculi irritatio ab alteratione pendens succi gastrici, vel quoad quantitatem ipsius, vel qualitatem, aut etiam nimia sensibilitas fibrarum ipsarum, aut excedens earundem laxitas. Huc etiam pertinet pica, scilicet consuetorum ciborum aversatio cum adpetitu inadsuetorum, & sanis corporibus insalubrium, nec non anorexia, seu insignis inminutio, vel cessatio famis in jejunis. Hujusmodi morborum caussæ ex alibi constitutis facile eruuntur. II. Polydipsia, videlicet inmodicus poculentorum adpetitus. Hujus pariter caussæ ex iis patent, quæ de siti inphysiologia disseruimus, ex quibus intelligi etiam possunt caussæ sitis inminutæ, vel abolitæ.

XI. Primarum viarum actiones læsæ, quo sane spectant 1. Dysphagia, difficultas nempe degluti-

tionis cum dolore conjuncta. Hanc procreant oesophagi spasmodica constrictio, hysteria, atonia, & resolutio musculorum dilatatorum laryngis, obturatio superioris partis vesophagi a scirrho, a callo aortæ adnato, a tuberculo cancroso in oesophago, ab induratione oesophagi cartilaginea &c. perforatio palati, erosio, absumtio columellæ, seu veli palatini, hydrophobia, constrictio spasmodica cardiæ ab exulcerato oesophago a succis acribus in ventriculo contentis, a violenra musculorum hyopharingeorum distractione, atque adeo luxatione adpendicum ossis hyoidis &c. 2. Vomitus, eorum nempe, quæ in oesophago, vel stomacho continentur, per os rejectio, quam excitant crapula, saburra, vermes, venena, callus pylori, nlcus ventriculi, hujus steatoma, hopocondriasis, refluxio bilis in stomachum a duodeno obturato, obstructio hepatis, stomachi herpes, prolapsus cartilaginis xiphoideæ, læsiones capiris, aliaque plura. 3. Alvi adstrictio: Eam creant fœces ficciores, compactæ, duræ, defectus, aut tenacitas nimia lubricantis mucci, intestina ab obstructione, spasmo, compressione, contorsione, intus susceptione, & similibus impervia, aut nimia dilatatione infirmata, resoluta, perforata, dissecta, defectus, aut inertia bilis, diaphragmatis, & musculorum abdominis actio, vel nisus impeditus &c. 4. Diarrhea, vel materiæ liquidæ frequens per alvum excretio. Movent hanc excretionem auctus intestinorum motus a quacumque caussa inritante, excedens poculentorum, & esculentorum copia, subpressio aliarum excretionum, materies febrilis, purulenta, ichorosa. serosa, arthritica &c. animi

pa-

pathemata, susceptum frigus, adfectiones hystericæ, dentitio, vermes, hypercatarsis, aliaque his similia. 5. Ileus, adfectio nimirum, in qua fœces intestinales, quæ per alvum excerni debent, vomitione rejiciuntur. Oritur autem a fœcibus induratis, ab inflammatione intestini tenuis, a spasmo carneæ intestinorum tunicæ, ab intestini compressione, a colo pituita infarcto, a bubonocele, a mutuo intestinorum subingressu, a calculis, vermibus, venenis, a callosa coli strictura &c. 6. Cholera, scilicet adfectio, in qua æger per vomitum, simulque per alvum rejicit bilosam, vel vitiosam aliam materiam cum ingenti difficultate, & angustia. Pendere potest hic morbus a nimia ciborum, & poculentorum ingurgitatione, ab arthritide repulsa, a vermibus, venenis, ab heterogeneis substantiis in sanguine genitis, & per ductus peculiares in ventriculi, ac duodeni cavum excretis, aliisque pluribus. 7. Dysenteria, videlicet inmodica, torminosa sanguinolentæ, & mucosæ materiæ per alvum dejectio. Eam pariunt heterogeneæ materiæ vel cum alimentis adsumtæ, vel in sanguine genitæ, & per biliferos, aliosque ductus in cavum intestinorum inmissæ, venena, abscessus, & vomica mesenterii, cathartica, lues celtica &c. 8. lienteria, seu ejectio per alvum alimentorum parum, aut vix mutatorum parva interposita mora a deglutitione. Hanc movent ulcus ventriculi, & huic inlata inritatio ab aphtis, humore gingivarum sanioso ventriculum molestante, coucurrente pylori laxitate, uberiorique seri intestinalis secretione. 9. Tenesmus, vel ejectio pauca, mucosa cum magna, & adsidua egerendi cupiditate, ingenti

que conatu. Oritur hæc adfectio ab acri materia a sanguine secreta in glandulis podicis, vel huc delata ab intestinali tubo, ipsumque podicem inritante, & inflammante. Oritur etiam a calculo vesicæ, ab ascaridibus, a mariscis, a scibalis, a carcinomate inter vessicam, & rectum acri ichore suo rectum inritante &c. 10. Diabetes, sive indesinens urinarum excretio. Originem debet suam hic morbus ab humorum solutione variis de caussis excitata, & ab adtractione etiam aquæ in aere hospitantis. 11. Enuresis, vel mictio involuntaria. Hanc excitant paralysis sphincteris vesicæ, ejus distractio ab exocyste, cystocele, aliisque ectopiis, graviditas, perforatio vesicæ a partu, vesicæ ipsius, ejusve sphincteris fistulæ, inritatio vessicæ inlata a calculo, à catameniis retentis, & similia. 12. Dysiuria, scilicet mictio difficilis molesta, & sæpe etiam ardoris sensu stipata. Profluit hæc adfectio a spasmo hysterico sphincteris vesicæ, ab herpetibus cutaneis repressis, ab urinæ acrimonia, ab ulcere renum, a lue celtica, a mariscis tumidis, a calculo vesicæ, a cystocele, a victu salso acriore, ab usu nimio liquorum fermentatorum diureticorum, ab inmodica corporis exercitatione, & similibus. 13. Ischuria, vel urinæ subpressio, cujus caussas alibi referemus. 14. Pyuria, nempe viscido-mucosæ, lutulentæ, & purulentæ materiæ cum urinis ejectio. Hujus caussæ per se statim patent. 15. Demum ephidrosis, scilicet magna sudoris profusio, eaque morbosa, de qua vide quæ alibi a nobis declarata sunt.

Sexus virilis actiones læsæ, ad quas refertur 1. Priapismus, nempe morbus, cujus præcipuum sym-

symtoma est ingrata penis erectio citra veneris adpetentiam. 2. Satyriasis, sive effrænis, & impudens veneris cupiditas cum libidinosa penis tentigine. Utrumque vitium spasmis adnumerandum spasmorum ipsorum caussis debetur, atque insuper acrimoniæ virulentæ, abundantiæ liquoris seminalis, genitalium infllammationi, & ulcerationi, inritationi a vicinis partibns, præsertim vero, ab intestino recto, & vessica inflammatis, erosis, distentis, ab acri corpore stimulatis, calculo adtritis, frigori, deliriis lascivis, veneno hydrophobico &c. 3. Dyspermatismus, nimirum tarda, impedita, & ad generationem insufficiens seminis emissio. Debetur autem vel angustationi urethræ ab intumescentia substantiæ spongiosæ, a tumiditate glandularum ipsi adjacentium, cicatricibus eminentibus, duris, varicibus, ulceribus ad margines alatis, mutatæ vasorum ejaculantium directioni, & similibus, vel nodis corporum cavernosorum, ut observarunt Viri Cl. *Peyronius*, & *Lieutaudius*, vel muco urethram infarcienti, vel validiori penis erectioni, ut docet *Cockburnius*, vel epilepsiæ spasmodicæ in coitu advenienti, vel genitalium debilitati, vel semini aquosiori, vel refluxui seminis ipsius ex urethra in vessicam, aut in vesiculas seminales, & similibus. 4. Incontinentia seminis, vel ejus effluxus involuntarius crebro repetitus sine penis erectione cum intensa libidine. Ejus caussæ sunt masturbatio, virus venereum, semen copiosum, tenue, acre, magna genitalium inritabilitas, nimia ductuum laxitas, abusus aphrodisiacorum, & similia.

Fœminei ſexus actiones læſæ, ad quas revocatur 1. Menoſtaſia, ſive catameniorum emanſio, inminutio, aut ſubpreſſio. Debetur hic morbus præcipue uteri ſpaſmo, ejuſdem obſtructioni a materia lenteſcente, ejus ſcirrho, vel ſimili vitio organico, obſtructioni item hepatis, lienis, meſenterii, deficienti, aut excedenti ſanguinis copiæ, ipſimet ſanguini ſeroſo nimium, & viſcido, circulationi languidiori, intenſiiori, aut aliorſum male directæ, & ſimilibus. 2. Menorrhagia, vel catameniorum fluxus inmodicus. Profluit hic morbus ab excedente ſanguinis quantitate, tenuitate, acrimonia, motu incitatiore, reditu per venas impedito ob ſpaſmos, conſtrictiones, obſtructiones, a debilitate, inritatione, eroſione, ruptura vaſornm, abuſu veneris, crebra prægnatione, dyſtocia, abortu, ulcere, heterogeneis utero contentis &c. 3. Leucorrhœa, ſive effluxus ſeroſi, vel flaveſcentis humoris ex utero, aut vagina. Oritnr hic morbus a veneris abuſu, ſalacitate cohibita, ulcere, vel ſcirrho uteri, viru ſyphilitico, conluvione ſeri, debilitate, & inertia vaſorum &c. 4. Abortus, ſive inmaturi fetus excluſio ex utero. Hnjus cauſſæ ſunt animi pathemata, ut ira, terror &c. quo efficitur, ut frequens ſit abortus in obſeſſis urbibus, a terræ motu &c. violentæ corporis motiones, ſaltus, nixus, tuſſis, ſternutatio, vociferatio, vomitus, inſultus epileptici, coitus frequens, & petulantior, diarrhea, dyſenteria, teneſmus, ut docet *Hipp.* aph. 34. ſect. 5. & aph. 27. ſect. 7. emmenagoga, cathartica, emetica, plethora catamenia promovens, eadem conmota in febribus acutis, & pyrexiis ex eodem *Hipp.* aph.

30, & 55. sect. 5. fetus mortuus, vel pabulo fraudatus, sive funiculo circa collum ligatus, uterus scirrhosus, ulcerosus, ipsius uteri laxitas &c. 5. Dystocia, sive dolorifica, & ultra modum laboriosa fetus exclusio. Hujus caussæ sunt infirmitas matris, dolores, & præsertim colici, humores nimium stimulantes, pathemata, angustia viarum, rigiditas partium, hydrocephalus, ascites, aut hydrothorax fetus, vitiosus infantis situs, secundinæ elapsæ, mola, superfetatio &c. 6. Retentio secundinarum, cujus caussæ sunt nimia illarum adhæsio cum intetna uteri superficie, contractio osculi uterini a terrore, ab externo aere inopportune admisso, promtior mutatio opportuni situs, funicuculus umbilicalis nimis solicite recisus, vel ob debilitatem ruptus &c. 7. Lochia inmodica, vel nimius sanguinis effluxus a partu. Pendet hic morbus a dystocia, vehementibus conatibus, vasis uteri maxime patulis, plethora matris, frustis placentæ in utero relictis &. 8. Supressio, vel imminutio lochiorum; eam creant constrictum uteri osculum, subitus terror, infarctus uteri &c. De his plura habent Viri Cl. *Gaubius*, & *Sauvagesius*, quos vide.

CAPUT VIII

DE DIFFERENTIIS MORBORUM ADCIDENTALIBUS

SI morbi considerentur ratione adfectæ partis, distingui possunt in universales, & particulares.

res. Universales tunc vocantur, cum totum corpus adficiunt, particulres vero, cum unicam tantum partem invadunt. Præterea ratione adfectæ partis sunt vel idiopathici, vel sympathici. Idiopathicus est qui primario in aliqua parte progignitur, in eaque suam permanentiam, & caussam habet, cum nempe in eadem parte sunt simul morbus, & caussæ; sic in nephralgia renes idiopathice adficiuntur vel a præsentia inflammationis, vel calculi, vel alterius cujuscumque objecti morbosi in iisdem procreati, & permanentis. Sympathicus est qui in aliqua parte excitatur ob consensum cum alia primario adfecta, cum nempe in parte altera viget morbus, in altera insidet caussa. Sic ab adfecto stomacho dolor capitis oritur; sic ventriculus in nephralgia per consensum adficitur, & ad vomitum incitatur. Ut autem morbus dicatur sympathicus, illud requiritur, ut sublato morbo idiopathico, ex quo ille profluxit, & sympathicus ipse tollatur; secus si idiopathico morbo sublato sympathicus perseverat, jam non amplius est sympathicus, sed idiopathicus factus est, & tunc dicitur a Medicis deuteropathicus, sive secundarius, alter vero primarius adfectus, a quo proficiscitur, adpellatur protopathicus.

Sympathicum autem morbum datæ alicujus partis vel ab officii societate profluere docent Med.ci, vel a communione vasorum, vel a propinquirate partium consentientium. Officii societas tunc dicitur, cum duæ partes in nnum eundemque effectum ita conspirant, ut unius læsio alterius etiam læsionem inferat. Ita ex. gr. cum pulmones dllatari non possint, nisi cavum thoracis augeatur

geatur, si ob morbum aliquem in musculis thoracis, aut in diaphragmate genitum thorax elevari non possit, & simul deprimi diaphragma, thoracis cavo adhuc coarctato fieri non potest, quin sanguinea pulmonis vasa ob impeditum sanguinis fluxum dilatentur, atque ita adeo dllatentur, ut continui solutiones, & rupturas ex hac officii societate patiantur.

Vasorum conmunionem tunc vocant, cum duæ, vel plures corporis partes communia habent vasa, per quæ is inter illas consensus intercedit, ut ipsarum altera quomodolibet adfecta ceteræ quoque eodem tempore adficiantur. Duo autem præcipua sunt vasorum genera, sanguinea scilicet, & nervosa, quorum ope consensus inter quaslibet fere partes corporis animalis intercedit. Ex priora quidem vasa quod adtinet, si aliqua motui sanguinis resistentia opponatur alicubi, puta in trunco aortæ inferiori, utique fieri debet, ut idem per superiores ramos ejusdem arteriæ uberius excurrat, eosque idcirco magis magisque distrahat. Hinc morbosæ dilatationes, & solutiones unitatis in illis contingent, compressiones item canalium alterius generis, pluresque alii effectus morbosi manare poterunt. Abscessus hepatis post vulnera capitis ab horumce vasorum conmunione derivantur, recteque demonstravit *Bertrandus* eosdem ab hepatice venæ, binarumque venarum cavarum dispositione efformari.

Quoad nervos adtinet, etsi putent Viri Cl. *Kaauvvius*, *Whyttius*. & *Astrucius* unice in cerebro, aut spinali medulla nervos uniri, quam quidem unionem ibi maxime esse ultro fatemur, conmunionem tamen aliquam esse truncorum nerveo-

rum

rum præsertim patet in portione dura nervi auditorii, in pari vago, & magnis intercostalibus, & plurima experimenta demonstrant, quæ profert Cl. *Hallerus*. Ea igitur posita conmunione videtur non alio modo pars aliqua corporis læsionem pati posse ab adfectu, ac læsione alterius partis, quam quod aliquo canali nerveo a potentia mechanica adfecto, quæ continui solutionem, vel semisolutionem unitatis inferat, ejusdem canalis nervei resistentia minuatur. Siquidem membranæ canales nerveos constituentes vi contenti fluidi ultra modum tendantur necesse est, ac veluti divellantur, eaque tensio, ac divulsio, & simul validior actio nervi fluidi ad alios quoque canales consocios, eorumque membranas propagetur, ut docent *Baglivius*, & *Henricus Rega*. Eadem etiam contingent in vicinis partibus nervosis, quoties nervei fluidi vis, & elasticitas tum intendatur, tum minuatur. Distrahuntur enim membranæ canales nerveos obvolventes in primo casu, in altero vero ob auctam partium canalem nerveum constituentium vim in mutuos contractus alibi necessario inferri debet distractio in eodem canali nerveo ob continuitatem membranarum.

Læsiones denique cum proximitatis necessitate in alias partes propagari possint tum ob effluvia morbosa ab adfecta parte emanantia, tum mediis conmunibus membranis, quibus proximæ illæ partes obvolvuntur, sive continuatione substantiæ ab una ad aliam partem, eædem sympathico morbo tentari poterunt. Sic moleste adficitur ventriculus ob aliquam intestini portionem in hernia strangulata compressam.

Sau-

Sauvagesius tamen contendit absurdam esse eorum sententiam, qui docent morbos sympathicos tribuendos esse caussæ, quæ remota sit a parte dolente, seu αδυνατον esse caussam ullam agere ubi non est, ac proinde eos errare, qui caussam cephalalgiæ ex. gr. stomachicæ reponendam in stomacho esse arbitrantur. Verum quidem est, sic ait Vir. Cl., sæpe fieri, ut emetico præscripto illa cephalalgia evanescat; verum inde non sequitur ejus caussam fuisse in stomacho; dubium est num sanguis inspissans, & vasa meningum, vel cerberi infarciens sit incusandus, num vero inspissatus fuerit ob plethoram, ob saburram inquirendum restat. Esto fuerit inspissatus a saburra e stomacho in sanguinis massam transfusa, illa cephalalgia optimo discutietur, & præeavebitur usu emetici, licet principium proximum hujus referatur ad caput, quo dolor etiam refertur. Conmotio enim ab emetico facta potest sanguinem in ipso capite discutere, & saburra eliminata futuri dolores simnl præcaveri possunt. Qui itaque morbi juxta quosdam sunt sympathici, juxta alios diversa theoria imbutos idiopathici sunt; arbitraria est itaque illa morborum divisio, & a theoria dependens sæpins erronea. Sed cum ex præ constitutis consensus revera aliquis inter partes intercedat, ac præsetim stomachum inter, & caput, quod præ ceteris confirmant biliosi vomitus vulnera capitis, & cranii intropressionem, aliasque læsiones ipsius subsequentes, hinc est, ut inlustris Philosophi sententia minus cum ratione, ac veritate consentire videatur, ut clarius ostendunt observationes *Halleri*, & *Kaauvvii* cap. 7. de corpore consentiente.

Ab

Ab intensitate, seu magnitudine dividuntur morbi in magnos, & parvos. Magnitudo vero morborum æstimatur ex gravitate, intensione, numero, extensione, & duratione symtomatum. Horum numerus quo major est, ceteris paribus, eo major censetur morbus, sive eadem organa adficiantur, sive diversa. Ita in morbo acuto si delirium, convulsio, dyspnœa, nausea, febris simul adsint, morbus major est, quam si alterutrum adfuerit, ut docet *Sauvagesius*. Extensio autem symtomatum ejusdem speciei æstimatur ex numero partium ab illis adfectarum, atque earum spatio. Sic ex. gr. artuum omnium inmobilitas morbum majorem constituit, quam si pars tantum aliqua inmobilitate adficiatur. Tandem duratio, seu pertinacia symtomatum ejus magnitudinis ceteris paribus mensura est; sic quo diarrhœa longius perseverat, eo major est morbus. Parvi autem sunt morbi, qui nullis insolitis, funestisque symtomatibus terrent, quique a levi caussa proficiscuntur, ut cephalalgia ab æstu solis, febris ephemera a subpressa perspiratione &c.

Ratione moris, vel qualitatis dividuntur morbi in benignos, & malignos. Benigni vocantur illi, qui mites & adparent, & revera sunt, nullisque sævis symtomatibus copulantur, sed iis dumtaxat, quæ naturæ morbi conveniunt, ut tertiana simplex, febris ardens nonnisi cum calore. & siti; Maligni contra qui insidiosi mites, & sub phænomenis minus ominosis invadunt ægros, & ex improviso vehementiora, ac sæviora inferunt symtomata, quam quæ postnlat indoles, ac natura morbi, ut si ex. gr. cum febre ardenti delirium, præceps

ceps virium lapſus, & alia hujuſmodi conjungantur. Item a more illud habent morbi, ut in venenatos, peſtilentes, & contagioſos diſtinguantur. Venenatus morbus ille eſt, qui qualitate quadam corpus invadit, quæ ipſi prorſus adverſa eſt, ac plane mortifera, quæque vel ab extrinſecus propinato veneno, vel ab intrinſecus genito proficiſci poteſt. Peſtilens dicitur qui veneficam habet qualitatem, ſuumque virus indiſcriminatim in omnes effundit. Contagioſus vero qui ſeminia morbi ab uno in aliud corpus facile transfundit. Animadvertatur autem peſtilentem morbum graſſari aliquando populariter poſſe omni tamen contagione remota, ut quando vel vitio aeris, vel aliis de cauſſis regionis alicujus populos invadit, ac proinde non omnes peſtilentes morbos eſſe contagioſos; præterea neque omnes contagioſos eſſe peſtilentes, cum revera in contagioſis venefica illa qualitas deeſſe poſſit.

A motu deducitur differentia quatuor temporum ſive ſtadiorum in morbis, nempe paroxyſmi, ſive invaſionis morbi, augmenti, ſtatus, & declinationis. Paroxyſmus, ſeu principium eſt, in quo morbus, quem ab initio modum adcepit, eundem servat ſine ullo incremento; augmentum eſt, cum morbus ſenſim increſcit; ſtatus, cum morbus ipſe in ſummo augmento perſeverat, nec ultra citraque progreditur; declinatio demum, cum manifeſtam ſuæ vehementiæ diminutionem habet. At vero quatuor hæc ſtadia, non in omnibus morbis obſervantur, ſed in iis, qui ad ſalutem terminantur; Qui enim ad interitum ruunt nullam habent declinationem. Item quoad motum alii lente

te ſua tempora percurrunt, & vocantur longi, ſeu chronici, iidemque juxta *Hipp.* ultra 14 dies, & juxta Neotericos ultra ſeptem hebdomodas producuntur; contra alii eadem brevi conficiunt, & dicuntur breves, ſeu celeres. Ex his nonnulli proprium nomen retinentes adpellantur breves, & ſunt qui ſine periculo humanum corpus adgrediuntur, & ad breviſſimum tempus perſeverant, ut febris ephemera. Alii vero vocantur acuti, qui ne dum celeres habent motus, ſed etiam ſæviſſima, ac vehementiſſima ſymtomata, & periculi plena, ut pleuritis. Non enim, ut falſo docuit *Galenus*, brevitas temporis, motuſque celeritas dumtaxat acutum morbum conſtituunt, ſed oportet inſuper, ut una ſimul cum celeritate motus adcidentia peſſimi ominis conjungantur. Ex acutorum autem genere nonnulli vocantur acuti, alii peracuti. Ulterius ex acutis alii ſimpliciter acuti nuncupantur, & ſunt qui intra quartum decimum diem terminantur, alii vero non exacte acuti, qui intra viginti dies finiuntur. Et tandem nonnulli dicuntur ſubacuti, aut acuti decidui, qui ad quadrageſimum uſque diem producuntur. His forte addi poſſent acuti recidivi, qui ſexageſimo die, vel etiam ſerius deſinunt. Qui vero hunc diem excedunt, adpellandi ſunt longi. Ex peracutis demum alios exquiſite peracutos, vel acutiſſimos vocant, qui quarto die terminantur, alios autem non exquiſite peracutos, qui ultra quartum diem excurrunt, & ad ſeptimum uſque pertingunt. Sed enim cum modo citius, modo ſerius finire morbos natura poſſit, hinc eſt, ut quæ de morbis acutis adtulimus non ita intelligenda ſint, ut morbi

bi omnes acuti statutis hisce diebus necessario terminentur.

Relate ad modum motus qui sine inermissione a principio ad finem usque ægrum evidenter infestat morbus, & nullam habet perfectam apyrexiam, seu intermittentiam, vel cessationem, vocatur continuus, qui vero per intervalla recurrit, & aliquam in suo cursu apyrexiam, & cessationem habet, dicitur intermittens. Hæc autem intervalla si certa fuerint, ac determinata, morbus adpellatur periodicus, si vero fuerint irregularia, morbus vocatur anomalus, vagus, erraticus. Inter continuos, & intermittentes morbos ambigunt continui remittentes dicti, vel exacerbantes, qui contitinue quidem, sed tamen per intervalla remissius adficiunt ægrotantes.

Ratione temporis, quo morbus invadit, dividuntur morbi in hæreditarios, congenitos, & adquisitos, vel adventitios. Hæreditarii sunt qui a Parentibus simili morbo, hujusve seminio adfectis in filios derivantur, & ut ait *Plinius*, per successiones quasdam quasi traduntur, tristique, & onerosa veluti hæreditate adcipiuntur. Hos nulla medicina sanat; ut docet *Hipp.* dum ait „ morbi hominibus congeniti, & connutriti una cum illis pubescnnt, consenescunt, & tandem conmoriuntur „. Nam, ut sapienter monet *Seneca*, naturam mutare difficile est, nec licet semel mista nascentium elementa convertere; nunquam enim reciduntur plane vitia corporis, quæ nobiscum creverunt. Hujus generis morbi sunt epilepsia, arthritis, podagra, phthisis, trichoma, calculi &c. de quibus fuse *Rivinus*. Congeniti autem vocantur morbi,

qui

qui fetui in utero adnaſcuntur, quique nec manifeſti, nec in ſeminio latentes parentum alterutri ante conceptionem inhærebant. Hujus generis morbi ſunt præ ceteris vitia organica, cophoſis, monſtra, nævi materni, quos, ut ait *Trillerus*, nullo fere modo eluere, aut eradicare licet, quin potius ſemper pene deteriores fiunt medendo, & nulla lima, nullaque politura exteri poſſunt. Denique adventitii dicuntur morbi, qui in lucem ſuſcepto homini ſuperveniunt, quique ab errore in victu, vel in motu, vel ab alia cauſſa proficiſcuntur.

A loco ſive regione, in qua generantur, dividuntur morbi in endemios, epidemicos, & ſporadicos. Endemii dicuntur, qui alicui regioni peculiares ſunt, iiſdemque plerique regionis illius incolæ adficiuntur, ut proinde morbi regionales, ſeu vernaculi adpellari conſueverint. Sic ſcorbutus borealibus regionibus, tabes Luſitanis, pleuritis Tridentinis, dyſenteria Melitenſibus, adfectio hypocondrica Romanis, bronchocelle Helvetiis, Pedemontanis, Brixianis, Germanis ad Goslariam, elephantiaſis Ægyptiis, carantiſmus apud Apulos &c. morbi endemii ſunt. Horum autem morborum cauſſa cum æqualiter conſtans, & adnexa locis illis, vel nationibus eſſe debeat, a conſtanti, & fixa cauſſa repetenda videtur, cujusmodi ſunt exhalationes paluſtres, ac præ ceteris ſubterraneæ, quarum indoles pro varietate materiarum exhalantium tam varia eſſe poteſt, quam varii ſunt iidem morbi, ſed ſimul conſtans eſſe debet. Epidemici ſunt qui indifferenter quaslibet regiones, & quoslibet homines adoriuntur, ut peſtis, variolæ, & alii hujusmodi. Sporadici denique qui nec conmuniter

niter grassantur, nec alicui regioni peculiares sunt, sed indiscriminatim homines corripiunt, prout varia est ipsorum hominum natura, variique in victu, & rebus aliis errores. Sic pleuritides, podagra, calculi, & alii similes morbi ubique sane, sed non tamen in multos grassantur.

A variis vitæ generibus distingui a se invicem possunt morbi, & ii præsertim, quos vocant artificum, de quibus consuli potest inlustris *Ramazzinus*.

Ab eventu morbus est vel salutaris, vel periculosus, vel lethalis. Salutaris est qui ex propria natura nunquam terminatur ad mortem, nisi error aliquis in ejus curatione admittatur, ut est tertiana tum simplex, tum composita. Periculosus ille dicitur qui ægrotantes in vitæ discrimen adducit, licet sæpenumero citra mortem terminetur. Lethalis est qui pravas habet qualitates, ægrorum vires infiirmat, & tandem ægrum ad mortem ut plurimum perducit, ad quod sane genus referri solent morbi omnes extremi, & peracuti, nec non pestilentes.

Item ratione eventus morbi vel sanabiles sunt, vel insanabiles. Sanabiles sunt, qui curationem admittunt, insanabiles qui curationem plane respuunt, licet mortem non inferant necessario. Hujus generis sunt vitia organica, cancer, scirrhus &c. Sane teterrimum cancri virus nullis medicamentis internis obtemperat, & ad omnem pene tactum sævius insurgit, idque *Aretæi*, & *Celsi* auctoritate confirmatur, quorum alter sic ait; *Efferatur carcer manuum adtrectatione, & medicamentis, & quolibet medelæ genere magis exasperatur*: al-

ter vero sic scribit ; *Carcinomata curationibus inritantur , & quo major vis adhibita est , eo magis . Quidam ferro adusserunt , quidam scalpello exciderunt , neque ulla unquam medicina profuit , sed adusta protinus concitata sunt , & increverunt , donec occiderent , excisa etiam post inductam cicatricem tamen reverterunt , & caussam mortis adtulerunt .* Idem dicas de scirrhis , præsertim si longiore temporis tractu ita induruerint , ut durities illa superari non possit . De his ita loquitur sapientissimus *Trillerus* ; *isti remediis emollientibus , resolventibus , & discutientibus nimium tractati , ac vexati nec mitescunt , nec loco semel occupato cedunt , sed medelis admotis acrius exasperati quasi vitiosi parentes plerumque daturi sunt progeniem longe vitiosiorem , diros nempe cancros , & truculenta carcinomata nulla plane hominum ope , & solertia subigenda , aut extirpanda .* Huc pertinent & strumæ , quæ advertente *Celso* præcipue Medicos fatigare solent , quod nec facile maturescant , & si curentur ferro , alisque medicamentis , juxta cicatrices ipsas plerumque iterum exsurgant . Huc etiam referri possunt varii morbi omnis medelæ ita quidem impatientes , ut per medicamenta præsertim exterius adhibita magis semper ac magis exacerbentur , & in alios pravioris ingenii morbos recrudescant . Hujus generis sunt varii oculorum morbi , ophtalamiæ scilicet , lippitudines , & suffusiones , auditus vitia , erysipelata , gutta rosacea , impetigines , lentigines , lichenes , scabies , achores , tinea , podagra , sordidæ ani fistulæ , præcipue inveteratæ , & in corpore senili , & effœto subortæ , ulcera annosa , sordida , humida , callosa , pedes , & crura maxime

xime obſidentia, & alii id genus morbi, in quibus omnibus juxta *Hipp.* præceptum nec movere oportet, nec novare, neque eos medicamentis adgredi neque aliis inritamentis, ſed potius intactos relinquere; gravius enim invaleſcunt medendo, & cohibendo latius ſerpunt. Sic ab inveterati canceris extirpatione aliquo poſt tempore tumere colli glandulas in lapidem pene dixerim induratas, & linguam, gingivaſque multis tuberculis liventibus, & fœtidam ſaniem plorantibus oppletas, itemque ab eadem operatione in utraque fœminæ mamma inſtituta aliquot poſt menſibus ad uterum refluxiſſe peſtiferum virus obſervavit prælaudatus *Trillerus*. Recte igitur, ait *Hipp.* aph. 38. ſect. 6. *Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius eſt, curati enim citius pereunt, non curati vero longius tempus perdurant*. Referunt *Hildanus*, & *Schelammerus* Centurioni male tractatum eryſipela per humida, & acria cataplaſmata, & epithemata in feralem gangrænam, & ſphacelum pene ipſum abiiſſe. Cæcitatem, febrem, mortiferam epilepſiam, lethalem hydropem, paralyſim, ſummam ſpirandi difficultatem, vehementiſſimam vertiginem, graviſſimamque totius corporis laſſitudinem, ſtuporem ſenſuum, mentis alienationem, cachexiam, hemiplegiam, apoplexiam, ac demum mortem a perverſa ſcabiei medicatione profluxiſſe tradunt *Hipp. Sennertus*, *Hoffmanus*, *Rivinus*, *Schulzius*, aliique. Et ſic de ceteris morbis, quos ſupra recenſuimus, quoſque fuſe tractat *Trillerus*, quem vide.

Quoad ætatem diſtinguuntur morbi in morbos infantiæ, pueritiæ, juventutis, virilitatis, &

senectutis; quælibet enim ætas suis peculiaribus tentatur morbis. Recens natorum, & puerorum morbos recenset *Hipp.* aph. 24, 25, 26, sect. 3. Morbos juvenum exponit aph. 29. ejusdem sect. & aph. 15, & sect. 7. Virilitatis autem morbos declarat aph. 30. sect. 3. Senectutis denique morbos aph. 31. ejusdem sect. Sane in infantia, & pueritia fibrarum mollities, & infirmior perspiratio liquidorum congestiones, & condensationes pariunt, unde profluunt aphthæ, fluxiones, eruptiones cutaneæ, tumores ad parotides convulsiones, herniæ, tusses, vomitus &c. In pubertate fiunt febres acutæ, hæmorrhagiæ, & in fœminis colores pallidi. In adolescentia ob majorem solidorum tensionem, & diversæ indolis alimenta, vehementioresque exercitationes, & vividam hæmatosim humores sunt solutiores, indeque febres putridæ, expuitiones sanguinis, inflammationesque consequuntur, & ob majorem sanguinis ipsius adfluxum ad vasa cerebri phrenitides etiam, & lethargi suboriuntur. In senectute demum cum fibræ rigescant, ac decurtentur, vimque suam elasticitatis amittant, obstruantur vasa, cutisque pori claudantur, & ob lentiorem hæmatosim parcior fiat perspiratio, pars aliqua crudorum, viscidorumque humorum in alias partes impetum faciat necesse est, atque inde apoplexiæ, catharri, copiosa seri per nares, & per sputum evacuatio, rheumatismi, stranguriæ, paralyses, surditates, glaucomata, aliaque mala proficiscantur. Quod si vitio aliquo ambientis aeris, aut aliqua corporis perfrigeratione contigerit, ut adhuc parcius procedat perspiratio, tunc retenta materies morbifica pleniori alveo in pul-

mones inruat necesse est, aut per lateralia intestinorum vasa uberius secernetur, atque ita peripneumenias creet, & fluxus lethales.

Ratione subjecti dividuntur morbi in morbos virorum, & fœminarum, & harum morbi in morbos virginum, gravidarum, parientium, & nutrientium. De his consule *Ramazzinum*, & Practicos adcuratiores, ut *Sauvagesium*.

Demum quoad anni tempora morbi sunt æstivi, autumnales, hyemales, & verni. Morbi quidem omnes singulis quibusque temporibus excitantur, quidam autem quibusdam præsertim temporibus & procreantur, & exacerbantur, ut idem docet *Hipp.* aph. 19. sect. 3. Singulos autem hujusmodi morbos hyeme præparari communis opinio *Medicorum* est, quod ea potissimum anni tempestate parum corpora perspirent. Unde nil mirum si adcedente vere turgeat sanguis perspirationis excremento saturatus, variaque inferat mala, ut alio loco demonstravimus. Æstivos morbos recenset *Hipp.* aph. 11, & 21. sect. 3. Autumnales morbos refert aph. 9, 22, aliisque ejusdem tertiæ sectionis. Hyemales vero docet aph. 13, & 23 ejusdem sect. ac demum vernales ap. 12.

Atque hæc sunt quæ de morborum differentiis præcipue tradi solent. Consulto prætermisimus divisiones alias, cum hæ vel ex ipsis nominibus innotescant, vel in usum medicum non veniant, vel spuriæ sint, & falsæ. Hujusmodi est divisio morborum in legitimos, & spurios; veros, & falsos. Profecto ut præclare animadvertit *Sauvagesius*, qui genus recte definivit, eidemque nomen indidit, ex hoc ipso exclusit species huic defini-

finitioni repugnantes, ac proinde species illæ eodem generico nomine insigniri non debent. Pleuritis ex. gr., pergit laudatus Auctor, definitur morbus febre acuta, dolore pectoris punctorio, tussi, & dyspnœa stipatus. Si jam ea dividatur in veram, & spuriam, seu falsam, idem est, ac si divideretur in eam, quæ est pleuritis, & eam, quæ non est; aut quæ falso pleuritis judicatur; hanc enim falsam vocant, quod est absurdum.

Fallax item est, & erronea, ut idem contendit, divisio a Neotericis adcepta morborum febrilium in essentiales, & symtomaticos, in eos scilicet, qui sunt effectus alterius morbi, vel qui ab alio morbo suboriuntur. Cum enim juxta ipsos febris pro caussa habeat vel obstructionem vasorum capillarium, vel irritationem cordis, vel nervorum distractionem, atque juxta eosdem illa vitia veri morbi sint, seu status vitiosi partium solidarum, fluidarumve, ex quo functiones læduntur, omnes febres ex his principiis esse debent symtomaticæ, nullæ essentiales. Præterea quod in sensus nunquam incurrat caussa, quatenus caussa, nec proinde incurrat quidpiam quatenus effectus alterius, nec proinde quatenus symtoma, atque mutata, ut sæpe fit, in scholis caussarum doctrina mutaretur generalis morborum divisio, quæ subponit ex. gr. ulcus pulmonis esse caussam, cujus amphimerina tabida effectus est; fieri enim potest, ut vel a conmuni caussa dependeant tum ulcus, tum febris, aut ut ulcus a febre promanet, cum febris subpurationem præcedat sæpissime, ideo erronea censenda est illa divisio fundamentis mutabilibus innixa.

Neque

Neque minoribus, ſic ille pergit, tenetur erroribus diviſio eorundem morborum febrilium in humorales, & non humorales, qui nempe a ſolo vitio fluidorum oriuntur, ac foventur, & qui a ſolo vitio ſolidorum ortum ducunt. Et ſane qui morbi febriles a putredine, & malignitate humorum produci putantur, a ſpina tendinibus infixa fieri poſſe oſtendit *Helmontius*. Præterea certum eſt ſolida laborare non poſſe ſeorſim a fluidis. Denique ex eo, quod ſit abſceſſus, fiſtula, ulcus maxime in parte dolente, an ne febris exſurgens ſolidis tantum tribui debet? Num ſanguis inflammatus, pus acre, ichor ulceris nihil ad febrem concurrunt? Quo jure humoralem, quæ fit a bile, non humoralem, quæ a pure fovetur, adpellaveris? Cum antiqui has omnes excepta ephemera, & hectica humorales, & putridas nuncuparent.

CAPUT IX

DE COCTIONE MORBIFICÆ MATERIÆ

CUm morbi omnes ex pravis fluidorum adfectionibus primum proficiſcantur, cumque ex pravis hiſce adfectionibus tandem ſolida corporis vitium contrahant, hinc ut morbi ſolvantur ad ſalutem, pravæ illæ adfectiones tollantur neceſſe eſt, ſive acre, vel heterogeneum ſubſtantiam ſanguinis inficiens ejiciatur, & ſolidarum partium vitia corrigantur. Quo vero heterogeneum illud,

vel noxium abigatur, & sanguinis qualitates omnes nativæ constitutioni proinde restituantur, scilicet morbi ad salutem terminentur, oportet, ut heterogenea illa, & morbosa materies cum sanguineo latice conmista vel in suis adfectionibus ita mutetur, ut ejusdem fiat conditionis, ac reliquæ fluidorum partes, videlicet ad nativum statum redeat, vel ab ipsomet sanguine separetur, & per determinata vasa e corpore ejiciatur. Separationem hanc morbificæ materiæ, qua veluti fermento quopiam adjecto morbosæ fermentationes excitantur in fluidis, ejusdem materiæ coctio præcedit, & critica, ut plurimum, sive judicatoria perturbatio, ut saniores Medici adnotarunt.

Coctionem autem vocant mutationem illam animali œconomiæ adprime utilem, quam subit materia cruda, seu morbosa in diversis humani corporis partibus, dum eadem seu actione vitæ, seu viribus medicamentorum naturalem demum obtinet constitutionem, eam nempe, quæ sani corporis humoribus propria est, ac peculiaris, vel, ubi id fieri non possit, ad determinatam separationem, evacuationemque præparatur. Coctio illa, qua materies vitiosa ad naturalem constitutionem redigitur, pepsis nomine a veteribus Medicis vocabatur, præparatio vero ad separationem pepasmus dici consuevit. Pepsis autem, sive coctio morbosæ materiæ, qualis est ex. gr. resolutio in inflammationibus, est longe perfectior pepasmo, qui locum habet in singulis quibusque morbis, in quibus sola vitæ actione morbifica materies evacuatur, cujumodi est subpuratio in morbis inflammatoriis.

Neque

Neque difficile est rationem stabilire, qua perficitur coctio materiæ morbificæ. Et sane non aliud est coctio, quam solutio propria substantiæ sanguineæ, sive extractio materiæ heterogeneæ, & noxiæ, quæ solventium aereorum ope conficitur, & ab aucto motu sanguinis progressivo, & majore gradu caloris humani corporis promovetur; scilicet ab aeris solventibus aliquid de sanguine sub insensibili forma educitur, quod eidem heterogeneum erat, & noxium, quo educto materia superstes vel eandem demum indolem, & constitutionem contrahit, ac humores ad sanitatis leges elaborati, & tunc plane cessat morbus; vel si id haberi ex integro non possit, quoniam materiæ superstiti minor cum solidis partibus, & humoribus easdem adluentibus heterogeneitas intercedit, eadem idcirco facilius, validiusque ab illis adtrahitur, ut deinde per excretorios canales e corpore eliminatur.

Exinde vero conligitur actionem vitæ se se intensius exserentem eam esse, quæ coctionem facit, eademque testante magno *Sydenhamio* uti naturam, ut crudos, sive heterogeneos humores a ceteris secernat, eosque utpote animali œconomiæ infensissimos extra corpus amandet. Unde infert Vir sapientissimus in curatione morborum illud omnibus viribus elaborandum esse, ut actio vitæ temperetur, ne ex vehementiori motu vasa cerebri, pulmonum, aut insignis alterius partis quoquo modo debilitata tandem disrumpantur, aut ita obstruantur, ut non amplius resolvi possit obstructio, vel contra ex motu debiliore morbifica materies vitiose digeratur, ejusve coctio imperfectius absolva-

tur. Quod si actio vitæ satis superque constet, quoniam tunc ipsa sufficit optimæ coctioni perficiendæ, totum curationis opus naturæ, quæ, ut *Boheravii* verbis utar, in sanandis tandem morbis principatum obtinet, omnino committendum esse prælaudatus Auctor sapientissime contendit.

Et in multis quidem morbis, in quibus Natura nullo indiget adjumento, nihil quidquam moliendum est, ut testantur *Hipp.* et idem ipse *Sydenhamius*, qui optimam interdum medicinam esse docent medicinam non facere. Veritatem hanc adprime noverat *Galenus*, eosque Medicos graviter reprehendebat, qui quovis die pharmacum ægrotantibus exhibendo naturæ opus ita perturbarent, ut eadem non amplius valeret ad morbosam materiam conrigendam, atque adeo ad morbos integre fausteque sanandos. Sane coctio vitiosi humoris majorem, vel minorem requirit febrilem actionem, prout idem tenacioris est indolis, & contumacioris. Sic in febre ephemera, aliisque levioribus morbis nullus naturæ procurandus est pepasmus. At in febribus putridis, & in inflammationibus coctio majorem operam exposcit, & natura aliquo indiget auxilio, quo materiam morbosam præparet, eandemque aptam reddat ad evacuationem. Hoc autem in casu ea omnia perutiliter adhibentur, quæ noxios humores adtenuare possunt, ac solvere; quippe ut docet *Hipp.* aph. 9. sect. 2. Corpora cum quis purgare voluerit, ea fluxilia faciat oportet; usurpantur etiam quæ valent laxare solida, quo facilius cedant, & expeditior via pateat ad evacuationem, vel contra quæ majorem solidis ipsis vim, atque elaterium in eumdem fi-

nem

nem indere, ſi forte debita vi, atque elaterio deſtitui videantur.

Veteres Medici coctionis ſigna in excrementis præcipue requirebant, & modum plus minuſve perfectum ab illorum qualitatibus inferebant, quo ipſa de corpore receſſerunt. Ita *Hipp.* ab urinis & alvi fœcibus tutiora ſigna conligebat, quæ communia ſunt coctionibus materiæ morbificæ in qualibet corporis parte confectis. Conligebat item ex ſputis pulmonum ſtatum in morbis pectoris &c. Idem ſtatuit *Galenus* lib. 2. de criſibus. Generatim vero ſigna coctionis in excrementis felicem morbi exitum prænunciant, ut docet *Hipp.* lib. 1. Epidem. Ait enim *mutationes omnes excrementorum ſemper ſalutares eſſe, & ex promptis coctionibus promptum morbi exitum portendi*, quod pariter a *Galeno*, & *Proſpero Alpino* confirmatum eſt. Oportet autem, ut ſigna perfectam numeriſque omnibus abſolutam eſt coctionem enuncient, eademque conſtanter perſeverent uſque dum criſis adpareat. Pepaſmi enim, & cruditatis viciſſitudo peſſima eſt, ut monet *Duretus*, & *Galenus* adſerit in 1. aph. Sic enim ait, *In morbis, in quibus aliqua criſis adparet cum ſignis cruditatis adhuc ſubſiſtentis funeſtum finem vel morbi diuturnitatem indicari*. Cavendum vero illud eſt, ne ex parte Medici, aut ægrotantis, aut adſidentium caſus aliquis contingat, quo turbetur coctio; neceſſe enim eſt Medicum ægrotum, & adſidentes facere, quæ decent, ut ait *Hipp.* aph. 1. ſect. 1.

Coctionis ſigna nunquam adparent in principiis morborum; tunc ſiquidem materiæ morbificæ abſolute crudæ ſunt; neque etiam in eorum

au-

augmento, cum revera eo ipſo tempore coctiones ſint imperfectæ. Hinc vero conſtat in principiis morborum ab inſtituendis evacuationibus abſtinendum. Cum enim tunc temporis materia morbi cruda ſit, ac proinde expulſioni maxime reſiſtat, aut ſaltem minus ſit aptior, quæ extra partes, quarum functiones turbat, & impedit, vitæ viribus amandetur, fieri non poteſt, quin ſani humores, ſi qui ſunt, de corpore expellantur, aut materia morbi niſi per maximos conatus non evacuetur. Hinc cum ægrotantis vires plurimum infringantur, haud amplius operari natura poteſt neque purum ab impuro ſecernere, morbum profligare, animalem demum œconomiam in priſtinum reſtituere. Merito igitur ab *Hipp.* conſtitutum fuit aph. 22. ſect. 1. *concocta medicamentis adgredi oportere, & movere non cruda, neque in principiis, ſi non turgeant*. Tunc enim ſolum evacuandam eſſe docet materiam, ne ſi diutius in corpore detineatur, naturæ vires impares fiant eidem præparandæ, & materies ipſa morboſa ægrotantem in vitæ diſcrimen adducat, ſi ad nobiliorem aliquam partem deferatur.

CAPUT X

DE CRISIBUS, ET DIEBUS CRITICIS

QUid nomine criſeos Medicinæ Parens *Hipp.* potiſſimum intellexerit determinari vix poteſt;

adeo

adeo divinus ille Senex in ejus definitione multiplex fuit, & varius. Et sane quodlibet excretionis genus ab eodem dicitur crisis. Quælibet etiam morbi mutatio ab ipso vocatur nomine criseos. Idem præterea contendit tunc in dato quopiam morbo adesse crisim, cum hic vel plurimum intenditur, vel remittitur, vel in alium morbum inmutatur, vel denique cum morbus ipse plane extinguitur. Eodem fere sensu *Galenus* arbitratur non aliud esse crisim, quem subitam morbi mutationem in melius, vel in deterius, scilicet ad salutem, vel ad mortem, ex quo factum est, ut nonulli crisim ipsam consideraverint veluti quandam luctæ speciem, inter naturam, & morbum, in qua natura vel superare morborum possit, vel contra ab eodem superari. Cum autem morbi omnes, si insanabiles nonnulli excipiantur, suam habent crisim, ejus scilicet sint indolis, qua mutentur tandem vel ad salutem, vel ad mortem, hinc statuerunt alii non aliud esse crisim, nisi judicium de fausta, vel infausta morborum solutione, ratione habita ad symtomata, vires, & peculiarem ægri constitutionem.

Verum enim vero cum juxta mentem *Galeni* inminente crisi difficilis evadat respiratio, ægrotantis oculi rubeant, idem etiam quandoque delirio, vel sopore conripiatur, objecta lucida videre se putet, de dolore ventriculi, ac dorsi conqueratur, æstuet, ploret, ejus labrum inferius tremore adficiatur, totumque corpus convellatur, hypocondria interdum retrahantur, insignis denique crisim Præcedat functionum omnium humani corporis perturbatio ob morbosam materiam peculia-

ribus

bus vasculis inhærentem , cumque insignes hasce mutationes tandem sudor , vel sanguinis eruptio e naribus , vel vomitus , vel alvi fluxus , vel tumor in aliqua corporis parte subsequatur , statuendum videtur non aliud esse crisim , quam celerem motum , & separationem a reliqua humorum massa peccantis materiæ , & varias corporis partes obsidentis , eundemque motum , & separationem iisdem deberi caussis , sed tamen intensius agentibus, ex quibus morbificæ materiæ coctio proficiscitur.

Crisis itaque perficitur , vel terminatur per excretionem , quandoque vero per metastasim materiæ morbificæ , cum hæc scilicet secernentibus tubulis nimium inretita remanet . Primi generis sunt crises , quæ contingunt ex. gr. per alvum , urinam , sputum , sudorem &c. secundi autem sunt quæ per insignem ex : caus. in parte aliqua erumpentem abceffum sine ulla ex dictis excretionibus perficiuntur . Neque vero putes quemlibet abscessum a morbo esse criticum ; quandoque enim partem aliquam nobiliorem , vel saltem æque nobilem invadit , vel erumpit alieno tempore , vel aliis caret conditionibus , quæ ad constituendum criticum abscessum maxime requiruntur , & tunc in perniciem cedit ægrotantis , & symtomaticus nuncupatur .

Præterea crises in eo a se invicem discrepant , quod aliæ optimæ sint , aliæ vero malæ ; perfectæ aliæ , aliæ imperfectæ , aliæ demum tutæ sint , aliæ periculosæ . Crises illæ sunt optimæ , quæ in spem adducunt fore , ut æger convalescat , malæ contra dicuntur quæ periculum adaugent . Crises perfectæ eæ sunt , quæ materiam morbificam omnino

mino evacuant, vel alio transferunt; imperfectæ vero quæ materiam morbosam ex parte tantum eliminant, ac proinde periculum portendunt, ne rursus recrudescat morbus juxta *Hipp.* aph. 17. Sect. 2. *quæ relinquuntur in morbis recidivam facere consueverunt*. Denique crises tutæ sunt illæ, quæ periculo vacant, periculosæ contra, in quibus aeger durante crisi maximum in discrimen adducitur. Hisce omnium crisium speciebus addi posset crisis illa, quæ dicitur insensibilis, & a nonnullis nomine solutionis adpellatur. Hujusmodi autem crisis ea est, in qua materies morbosa sensim sensimque difflatur, & quidem per copiosam insensibilem perspirationem, quemadmodum contingere observavit *Galenus* in pueris per longum somnum. Sex autem adferri solent characteres, & conditiones perfectæ criseos, & simul tutæ, seu salutaris. Earum prima, ac præcipua est, ut per signa coctionis, & præsertim aliquo die indice fuerit præmonstrata. Hujus quidem conditionis tantam esse vim testatur idem *Galenus*, ut adfirmare non dubitaverit se neminem unquam vidisse intereuntem, qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset. Ex adverso autem si nullis præcedentibus coctionis signis aliqua fiat perturbatio, aut excretio, eam non bonam crisim, sed naturæ potius irritationem esse, & symtoma longe periculosum fidenter pronunciandum est. Neque vero id in gravioribus tantum morbis, sed mitioribus quoque, & qui salutares judicantur, verissimum esse experiemur, in quibus si quidpiam simile contingat, metuendum est, ne morbus novis supervenientibus symtomatibus ingra-

vescat

vescat, vel diuturnior factus tandem, morte finiatur. Recte igitur ab *Hipp.* 1. epidem scriptum est *coctiones celeritatem judicationis, & sanitatis securitatem ostendunt, cruda vero, & incocta, atque in malos abscessus conversa dolores, aut diuturnitatem, aut crisium defectum, aut mortem, aut recidivam.*

Altera perfectæ criseos conditio est, ut critico die contingat, quamvis etiam alio die haberi possit. Illud autem requiritur, ut quocumque die crisis fiat, tempestive fiat, videlicet nec ante morbi statum, nec ante materiæ morbificæ coctionem. Quæ aliter se crises habent intempestivæ dicuntur, & difruptiones vocari solent ab *Hipp.* quod natura intempestive ad excretionem a morbi malignitate sollicitetur, quæ propterea non ea solum, quæ vitium & læsionem inferunt, sed utiles etiam, & laudabiles succos tumultuario ejicit.

Tertia perfectæ criseos natura est, ut ea sit manifesta, scilicet cum excretione aliqua, vel insigni, & cospicuo absolvatur abscessu. *Quæ enim, ait Hipp. sine manifesta excretione levant, recidivam facere solent.* Licet enim contingere quandoque possit, ut morbifica materies resolvatur, quo casu nulla subsequatur oportet evacuatio, vel etiamsi materia non resolvatur, insensibili perspiratione difflari possit, ut eam observavit *Albertinus* mediante halitu fœtidissimo ab ægrorum corporibus erumpente, præsertim in usu corticis peruviani, id tamen perraro contingit, ut vix morbum videas, præcipue magnum, ac difficilem, sine ulla subsequenti manifesta excretione terminari. Quin & lenti illi diuturnique morbi, quos paulatim

solvi

ſolvi, diximus, aliquam fere ſemper evacuationem ſub finem conjunctam habent.

Quarta, quæ ad perfectam criſim requiritur conditio, eſt, ut ſit tuta, nihil ſcilicet incoctum relinquat, & nihil excernendum, quod non excernatur; ſecus enim metuendum eſt, ne denuo relabatur æger.

Quinta optima criſeos conditio eſt, ut morbo, & ægri naturæ ſit conſentanea. Si res aliter contingat, metus eſt, ne morbifica materies intus relinquatur, at que adeo fida non ſit hujuſmodi criſis. Igitur acuti morbi excretione aliqua, diuturni terminari ſolent abſceſſu. Febris ardens in juvene ſanguinis profluvio e naribus, vel ut plurimum oborto ſudore, in ſene autem alvi fluxu non ſaro ſolvitur. Æſtivi morbi ſudore, autumnales, & hiberni urinarum, aut alvi fluxibus judicantur.

Sexto demum ad optimam criſim requiritur, ut ſit ſecura, ſeu fiat cum ægeri tolerantia, nulliſque periculoſis ſymtomatibus copuletur.

Sed non idem eſt in omni morbo criſeos tempus, nec eadem criticæ evacuationis natura. Enimvero tempus quod adtinet, cum criſis ad ſalutem ſequi coctionem debeat, coctio autem pro ratione ſexus, ætatis, temperamenti, regionis, tempeſtatis arni, morbi, epidemicæ conſtitutionis modo citius, modo ſerius perficiatur, illud conſequitur criſim etiam citius, aut ſerius perfici oportere. Quod antem ſexus, ætas, & quæ ſupra indicavimus, coctionis tempus variare poſſint, manifeſtum eſt. Coctio ſiquidem in eo ſita eſt potiſſimum, ut vitia ſanguinis conrigantur, quod

ſane non eodem temporis intervallo perficere natura poteſt, cum revera alia ſit ſanguinis indoles in juvene, alia in ſene, alia in homine bilioſi temperamenti, alia in melancholico &c. Eandem ob cauſſam nec eadem in omni morbo continget evacuatio, ſed modo per glandulas ſubcutaneas, modo renales, quod ſæpius adcidit, modo per inteſtinales &c. morbifica materias de corpore ſecedet. Quæcumque autem fuerit evacuatio, ea ſalubris eſt & critica, quam excitat natura prius inutili, vel noxio fluidorum pondere gravata, aut irritata, ideoque eadem confert, quod neceſſitati proportionalis ſit, ac bene feratur. Illud enim tantum detrahitur, quod copia ſua gravabat, aut qualitate noxia moleſtiam adferebat. Recte igitur ait *Hipp. evacuationes ſalubres paſſim bene ferri ab ægrotis, ita ut ab illis non mala ſolum ſubleventur, ſed etiam robur prius proſtratum reſtituatur.*

Quamvis autem varium eſſe diximus criticum tempus, veterum tamen Medicorum obſervatione compertum eſt criſes plerumque certis quibuſdam diebus abſolvi, quos proinde criticos adpellarunt. Hinc doctrina dierum criticorum profecta eſt, quæ in hiſce regulis innititur ab *Hipp.* conſtitutis. Morbi omnes acuti 40. diebus, vel quandoque citius terminantur, alii vero circa triceſimum abſolvuntur, plurimi intra viceſimum, vel decimum quartum, vel ſeptimum. Dies, in quibus morbi criſes perficiuntur, vocantur critici, ceteri vero dicuntur non critici. Inter dies criticos nonnulli perfecte fauſteque morbum judicant, cujuſmodi ſunt ſeptimus, decimus quartus, & vi-

ceſimus

cesimus, & decretorii nuncumpantur ab *Hipp.* qui praeterea alterum statuit dierum criticorum ordinem, eosdemque adpellat indices, internuntios, vel contemplativos ea ductus ratione, quod istiusmodi dies evidenter judicent crisim perfectam subsequenti septenario adfuturam. Hnjus ordinis sunt quartus, undecimus, & decimus septimus; quartus est index septimi; ita *Hipp.* aph. 71. Sect. 4. *Quibus septima die morbi judicantur, his die quarto nubeculam habet urina.* Item quartus dies quandoque enunciat mortem ante septimum adfuturam, quae semper pertimescenda est, quoties mutationes die quarto supervenientes consuetos limites transiliunt. Undecimus est index decimi quarti, & decimus septimus vicesimi.

Qui dies inter criticos, & indices intermedii sunt, dici solent intercalares, coeteri autem dicuntur vacui. Intercalares snnt tertius, quintus, nonus, decimus tertius, & decimus nonus, geruntque vices dierum criticorum, licet reipsa nunquam illis aequipolleant. Quod si crisim aliquando moliantur, recidiva pertimescenda est, ut de die quinto peculiariter enunciavit *Hipp.* Reliqui tandem dies, qui neque critici, neque indices neque intercalares sunt, vocantur vacui & medicinales; sunt que sextus, octavus, decimus, duodecimus, sextus decimus, decimus octavus. Hisce diebus cum nihil notabile sponte naturae contingat, aliquid boni procurari potest artis ope, cum revera iisdem diebus exiberi medicamenta tuto possint. Quod si forte iis ipsis diebus crises contingant, eadem pravae, & infidae censendae sunt. Notatur autem prae coeteris dies

ſextus utpote reliquorum peſſimus. *Hipp.* in coac. *ſudores*, inquit, *ſexto die erumpentes peſſimi*, & aph. 62. ſect. 4. *Icterus ſexto die lethalis*. Quid! quod in epidem plures habentur hiſtoriæ, quibus evincitur criſes ſexta die excitatus in perniciem ægrotantis abiiſſe. Unicus adeſt caſus ex ſect. 3. epid. lib. 3. deſumptus, qui iis opponitur, quæ hactenus de ſexta die conſtituta ſunt. Lariſſæa enim virgo ſexta die fuit ſalutariter judicata. Sed advertente *Galeno* caſus hic fuit rariſſimus, & præter conſuetudinem naturæ; extraordinario namque conatu triplicem evacuationem natura molita fuit; nempe menſtruam purgationem, largam hæmorrhagiam, & copioſum ſudorem; quæ autem per quam raro contingunt non ſunt adtendenda.

Demum qui ad quadrageſimum uſque diem progrediuntur morbi, ii ſuas criſes ultra viceſimum, ſcilicet viceſimo ſeptimo, triceſimo quarto, & quadrageſimo die perficiunt. Hiuſmodi dies ſepteni numerabantur a Veteribus, cum tamen à primo die uſque ad viceſimum non modo ſepteni, ſed etiam quaderni numerarentur. Septenarii majoris momenti ſunt ſeptimus, decimus quartus, vel viceſimus primus, ac propterea diligenter obſervari debent. Quartus, octavus, duodecimus, decimus ſextus, & viceſimus ſunt quaternarii magni quidem momenti, atque adeo adcurate, ac diligenter adtendendi. Generatim autem dies in pares, & impares diſtinguebant, & & imparibus diebus bilioſos, paribus vero ſanguineos morbos peragere motus ſuos exiſtimabant.


Atque huc potiſſimum ea referuntur omnia; quæ circa diſcrimen dierum a Veteribus ad nos

uſque

usque delata sunt. At vero cum iidem a se invicem maxime dissentiant in adferenda ratione, qua dies definiri, & constitui debeat, cumque, quod magis est, discrepent pariter inter se in definiendo die, qui in quolibet morbo dici, & haberi possit primus, hinc est, ut nonnulli doctrinam crisium, & dierum criticorum ab *Hipp.* constitutam utpote obscuram, vagam, & erroribus obnoxiam repudiarint. Quibus tamen reponi potest 1. consentaneum rationi esse, ut qui quotidianas naturæ operationes in corpus humanum contemplandas susceperunt, easdem exposituri naturalem diem selegerint, sive commoditatis gratia, sive quod morborum cursus naturalem potius, quam artificialem diem revera respiciant, ut propterea dies medicus sit dies naturalis, & dies criticus non alius, quam medicus, sive naturalis. 2. Criticorum dierum computationem non esse quidem ab eo tempore instituendam, quo lassitudine aliqua, aut alio non absimili incommodo adfectus decumbit æger, sed quo febrili aliquo motu corripitur: hoc enim modo fieri vix poterit, ut in enumeratione dierum criticorum aberretur.

Antequam vero huic capiti finem imponamus observandum est, quod si mulier puerpera acuta febri concipiatur, criticorum dierum computatio a tempore partus, non vero febrilis insultus institui debeat, si partus fuerit præternaturalis; Si vero naturalis, tunc ab initio febrilis motus procedat necesse est computatio. Ut plurimum autem supervenientes febres partum subponunt a naturali modo recedentem, atque adeo ut plurimum computatio a tempore partus instituenda est, ut tra-

dit *Hipp.* lib. 3. prognoſt. Patet autem ratio, cur dies critici in puerpera ſint hoc modo computandi; quippe præcedens partus non omnino naturalis inſignem parit humorum conmotionem, atque adeo tunc revera incipit morbus, quamvis labores partes ut plurimum morbi inſultus, & læſiones obſcurent. In vulneribus, contuſionibus &c. computatio a die inflicti vulneris, &c. non a die ſupervenientis febris inſtituitur; ſymtomatica enim, ut aiunt, eſt illa febris. In recidivis morborum ab initio ipſius morbi, non a die recidivæ fieri debet enumeratio. Cum enim reliquiæ materiæ morbificæ recidivam faciant, unus idemque cenſendus eſt morbus. Et ita plane dies criticos numeravit *Hipp.* ut videre eſt in pluribus hiſtoriis epidemiorum.



ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ

CAPUT I

EXpedienda ex ordine sequiturquarta pars Medicinæ, quæ dicitur semiotica, quæque signa, & characteres exhibet, quorum præsidio sanitas, & morbus, variæque morborum species, & horum exitus determinari possint. Signorum nomine phænomena illa intelliguntur, quibus humani corporis habitudinem, vel statum tum præsentem, tum subsequturum detegit Medicus. Ex qua definitione inlico patet duo esse genera signorum, salubria nempe, & insalubria, quandoquidem duæ sunt habitudines, vel status corporis, sanitas scilicet, & morbus. Signa insalubria sunt vel diagnostica, vel prognostica; Diagnostica, seu indicativa præsentem corporis statum ostendunt, prognostica subsequturas illius mutationes prænunciant.

Sed & diagnostica signa in pathognomonica, & conmunia distinguntur. Pathognomonica, seu morbum significantia ea sunt, quæ essentiam, naturamque morbi ita perpetuo comitantur, ut ab eo sejungi non possint, quæque juxta morbi magnitudinem augentur, vel minuuntur. Hæc autem pathognomonica signa aliquando ex uno, aliquando vero ex pluribus una simul conjunctis phænomenis constituuntur. Sic pleuritidis signum patho-

gnomonicum conformatur ex dolore lateris punctorio, difficultate spirandi, tussi, febre acut-, & sputo cruento. Signum vero pathognomonicum cardialgiæ conformatur ab unico sensu punctorii doloris vehementissimi, & plane exquisiti in superiori orificio ventriculi. Quod si in morbis nonnulla quandoque signa observentur, quæ eorum naturam minime declarent, sed ex adcidenti cum illis coniungantur, & adcidentia quædam morborum ostendant, puta magnitudinem, morem, eventum, ut quando in pleuritide supetvenit dolor ad jugulum, aut ad hypocondria, aut æger facilius in latus adfectum, quam in oppositum se se convertit, atque decumbit, tunc hujusmodi signa vocantur adsidentia. Conmunia denique dicuntur tum adsidentia illa, si occurrant, tum ea, ex quibus pathognomonicum signum constituitur, si seorsim adcipiantur.

Tres autem constitui vulgo solent signorum fontes. Vel enim sumuntur signa ab essentialiter, ut ajunt, inhærentibus, scilicet a peculiari partium textura, indole, actione, connexione, consensu cum reliquis, dispositione, & id genus aliis, vel a caussis procatharcticis, ab hæreditaria, aut congenita dispositione, ab ætate, sexu, victu, vitæ genere, temperamentis, aliisque; vel demum ab effectibus, ad quam classem omnia symptomatum genera revocantur, pulsus item, & urina, ut & signa omnia ab juvantibus, & lædentibus desumpta. His de signorum differentiis constitutis consequens est, ut ad signa salubria, seu sanitatis declaranda gradum faciamus, ut deinde ad insalubria pro viribus exponenda properemus.

CA-

CAPUT II

DE SIGNIS SANITATIS

Signa ſanitatis a cauſſis tum externis, tum internis, ſimulque ab effectibus deſumuntur. Signa autem ab externis petita cauſſis ſunt 1. ortus a parentibus ſanis, robuſtis, & integræ ætatis, qui corpus convenienti exercitatione roborarint, nec nimium, aut præmature veneri, curis, ſtudiisque litarint. 2. Optima tum in utero a Matre, tum in lactatione a matrice, tum deinceps a ſalubribus alimentis nutritio, qua corpus & mole, & viribus ad viceſimum quintum, vel triceſimum uſque ætatis annum æquabiliter augeatur. Interiores autem cauſſæ firmam valetudinem indicantes ſunt optima ſolidarum, & fluidarum partium conſtitutio, quæ in eo ſita eſt relata ad ſolidas partes, ut fibra ſit fortis, elaſtica, & ſufficientem vaſis omnibus, & viſceribus actionem impertiat, ita ut regularitatem, & conſtantiam in ſuis functionibus ſemper tueantur; hoc enim modo & circulatio in minimis vaſculis recte procedit, humorum ſtagnatio, conruptio, & acrimonia præcavetur, ſecretiones rite perficiuntur, nec ſanguineus latex gravatur iis humoribus, qui juxta ſanitatis leges difflari debent; nervoſæ autem partes non plus ſatis ab impreſſionibus adficiantur, ne machina ad leves quaſcumque cauſſas perturbetur

betur

betur. At vero optima, & firma valetudo relate ad fluidas partes in eo sita est, ut nec nimium effrænes, nec nimium languidi sint humorum motus, iidemque nec copia peccent, nec qualitate.

Effectus quod adtinet, mediocritas quædam ingenii, & sensuum omnium, & motuum animi, somnus placidus, æqualis, & vires reficiens, laborum tolerantia, levitas quædam corporis, respiratio lenta, facilis, æquabilis, magna, plena, sed sine magna organorum respirationi ipsi famulantium mutatione, pulsus pariter lentus, æquabilis, magnus, plenus, fortis, nec ad leviores quaslibet caussas mutabilis, calor mediocris in toto corpore, adpetitus, & facilis digestio, alvus mediocriter tarda, & sicca urina parcior, & cocta, rarus sudor, æqabilis perspiratio, excretiones denique omnes moderatæ indicia sunt optimæ sanitatis. His adjungit *Boheraavius* thoracem latum, amplum, abdomen gracile, & compressum, humeros, brachia, fœmorra, crura firma, torosa, carnosa, hirsuta densis, setosisque pilis hirta, cranium magnum, & capax præsertim ad occiput, non a parte faciei adabrente, sed fallaci specie, cutem duram, carnem multam, adipem parciorem; quibus addere possis calorem non valde roseum, aut candidum, sed potius nigricantem; calor enim valde candidus, aut roseus fibrarum indicat debilitatem, & aliquam sanguinei laticis solutionem.

Ut autem a generalibus ad singularem cujusvis hominis sanitatem, atque temperiem procedamus, hæc conligi possunt ex iis, quæ alio loco de temperamentis disseruimus. Signa temperamenti cholerici sunt sensus omnes vividi, & exquisiti

ti, frequentes motus, quin & inconſtantia, citiſſima contractio, & relaxatio cordis, & arteriarum, maximus caloris gradus. ſanguis exaltatus, lotium aurantii coloris, & relative paucum, macilentia, ſtatura nimia aut procerioris ſtaturæ tenuitas, robur inſigne corporis, venæ maxime cœrulæ, faciei color aliquanto vividus, & rubicundus, oculorum humores turbidi, & ex nigro furvi, pilorum color aut aureus, aut flammeus, pili conferti, & breviores, vox acutiſſima, canora, debilis, pulſus celer duriuſculus, haud valde magnus, velox reſpiratio, aliaque ex alibi conſtitutis eruenda. Signa quoque temperamentorum deſumi poſſunt ex morbis, quibus variæ temperiei homines obnoxii ſunt. Sic cholerici tentari ſolent adfectibus ſpaſmodicis, aſthmate ſpaſmodico, cephalicis doloribus, epilepſia, ſtranguria, iſchuria, dyſuria, paſſione cholica, hæmorrhagia, hemopthyſi, phthiſi omnis generis, àliis que ſimilibus.

Signa phlegmatici temperamenti ſunt ſegnities, minimus ciborum adpetitus, ſenſuum hebetudo, tenacia propoſiti, lentiſſima contractio, & relaxatio cordis, & arteriarum, minimus caloris gradus, ſanguis pallidus, & flavoruber, urina pallida, turbida, & viſcida, obeſitas prominentia, & inſignis corporis craſſities, minimum robur, venæ pallidæ, & obſcuræ, facies item pallida, oculorum humores turbidi; ac viſcidi, pilorum color albus, lacteus, nec ſplendens, pili longiſſimi, & rari, vox gravis, fortis, & racua, pulſus parvus, ratdiſſimus, ac molliſſimus, longa inſpiratio, ac ſegnis exſpiratio, aliaque ex dictis conligenda. Conripi autem ſolent phlegmatici diar-

thœis

rhœis, lienteriis, diabete, sudoribus conliquantivis, asthmate pituitoso, paralysi; leucophlegmatia, hydrope, tumoribus glandularum, adfectibus, soporosis, & similibus.

Signa temperamenti melancholici sunt sensus non valde exquisiti, constantia propositi, lenta cordis, & arteriarum contractio, & alterna relaxatio, mediocris caloris gradus, sanguis fuscus aut saltem atrorubens, urina maxime pallida, turbida, & pauca, statura mediocris, mediocre item robur, color faciei fere atro rubens, humores oculorum densissimi, & non nisi pulli coloris, pili non impense crispati, duri, splendentes, ac breves, vox fortis, & paulo acutior, simulque rauca, pullus magnus, tardus, ac durissimus, profuuda, & gravis respiratio, aliaque ex constitutis desumenda. Adfici autem solent melancholici adfectibus spasmodicis, aposthematibus, ictero tum flavo, tum nigro, passione hypocondriaca, melancholia, mania, viscerum obstructionibus, apoplexia, & similibus morbis.

Denique sanguinei temperamenti signa sunt sensationes non tam fortes, quam in melancholicis, nec tandiu perdurantes, minor, quam in cholericis inconstantia, cita contractio, & relaxatio cordis, & arteriarum, magnus caloris gradus, sanguis floridus, urina citrei fere coloris, & paulo copiosior, quam in cholericis, statura procera, mediocre corporis robur, sanguis vividus, & rubicundus, color oculorum nigerrimus, aut etiam cæruleus, & splendens, pili valde crispati, paulum splendentes, teneri, & coloris furvi, mediocris eorum copia, & longitudo, vox debilis, a-

cuta

cuta, clara, omnium optima respiratio. Obnoxii vero sunt sauguinei; diarrhoeis, sudoribus conliquativis, diabeti, paralysi, hæmorrhagiis, graviori apoplexiæ, inflammationibus omnis generis, vericibus, aneurismatibus, abscessibus, asthmati sanguineo, phthisi pulmonali, aliis que similibus morbis.

CAPUT III

DE SIGNIS PLETHORÆ.

Signa plethoræ in sanguineis, & biliosis sunt color floridus, rubicundus totius corporis, ac præsertim faciei, & labiorum, sensus caloris vel in ipsis corporis extremitatibus, in phlegmaticis autem, & melancholicis adspectus vividior. Generatim vero plethoræ signa sunt firma valetudo, & robur corporis, inflatio vasorum omnium, pullus plenitudo, & vehementia, adpetitus optime sibi constans, somnus quietus, profundus, præsertim in loco temperato, membrorum gravitas, & subita, a motu defatigatio, aliaque hujusmodi.

CAPUT IV

DE SIGNIS CACOCHIMIÆ.

CAcochimiæ nomine variæ acrimoniæ species intelliguntur. Signa acrimoniæ alkalinæ sunt sitis ingens, adpetitus dejectio, & aversatio ab alimentis alkalescentibus, ructus nidorosi saporem ovi conrupti in ove relinquentes ob portionem salium putridorum, rancidique olei, quod cum ære extricatur, materiæ crassæ linquam, & palatum obsidentes, & ex ranciditate succorum digerentium, seu vitio bilis ad conruptionem vergentis amaritiei sensationem excitantes, fœces alvi nigræ, urinæ crassæ, fuscæ, fœtidæ parum aut nihil sedimenti demittentes, sudor aut pessime olens, aut nullus, cutis ariditas, sanguis tenuis, floridus, & dissolutus, dolores stomachi ab irritatione salium acrimoniosarum profecti, sensus caloris, spontanea lassitudo, anxietas, inquietudo, ubi vero acrimonia alkalina eo devenit, ut ad morbos excitandos valeat, ejusdem signa sunt dolores ad ilia inflammatorii, erosia cinericia, plumbea, nigra, celerrime serpens, pustulæ ichorosæ, rubellæ, fuscæ, plumbeæ, nigræ subitam gangrænam inferentes, maculæ purpureæ, bubones, anthraces, inflammationes acutissimæ, sphaceli, & alia hujusmodi.

Signa acrimoniæ accidæ sunt halitus corporis acidum redolens, sapor similis, pallidus faciei, labio-

labiorum, & gingivarum color, ſitis haud valde intenſa, adpetitus plerumque ingens, celerrima digeſtio, deſiderium verum terreſtrium, alvi tormina, frigus, alvinæ fœces virides, & acidum ſpirantes, urina ſtranguriosa, alba craſſa, & copioſum, craſſumque demittens ſedimentum, ſudor acidus, & una largus, ſanguis craſſus, quandoque pallidus, quandoque vero niger, & dum eadem acrimonia intenditur, lentæ eroſiones, lentæ item, ac leves inflammationes.

Signa acrimoniæ muriaticæ ſunt ſapor ſalſus, ſitis ingens, & conſtans; rigiditas, ſiccitaſque corporis, urina ſalſa lente putreſcens ſpiſſum relinquens ſedimentum, eroſiones lentæ, prurientes &c.

Denique ſigna acrimoniæ oleoſæ putrefactæ ſunt fœtor empyreumaticus, ſapor amarus, rancidus, pinguis, acer, nauſea, dejectio adpetitus, facies exurens, ſitis ingens, urinæ flammea, & fœtidæ, oris ſiccitas, totius cutis ariditas, ſanguis ambuſtus, eroſiones fervidæ, nigræ, celeres, acres, & pertinaces inflammationes, ſimiles ſubpurationes, gangrænæ fœtidiſſimæ &c.

CAPUT V

DE SIGNIS PARTIUM TUM IDIOPATHICE, TUM SYMPATHICE ADFECTARUM.

SIgna cujuſcumque partis idiopatice adfectæ deſumuntur 1. ab indole, figura, & ſitu ejuſ-

dem

dem partis. 2. A cauffis adfectionis. 3. A symtomatibus, quæ adfectionem ipfam confequuntur. Itaque fi pars fuerit ultra modum, aut calida, aut frigida &c. vel præter modum dura, vel mollis, eandem præter naturam adfectum effe dicimus. Sic dum pars plurimum incalefcere deprhenditur, eryfipelatis, dubitatio fuccurrit. Sic pariter fi in hypocondriis duritiem, & tactui refiftentiam percipiamus, de obftructione fubjectorum vifcerum dubitamus. Sic etiam fi tumor occurrat in dextro hypocondrio lunarem obtinens figuram, argumento eft partem hepatis gibbam adfectam effe. Si vero oblongus fit tumor, & magis ad fuperficiem adcedens, male adfectos indicat rectos mufculos abdominis. Ex fitu etiam conjici poteft partem quampiam morbaffe adfici, ut patet.

Cauffas quod adtinet, eæ vel externæ funt, vel internæ. De externis nihil opus eft dicere. Internus quod fpectat, earum loco confiderari folent adfectus ipfi. Ita ex hydrope vitium hepatis conjectamus, & lymphaticorum ductuum læfionem. Effectus, & fymtomata comprehendunt actiones; ita ut ex earum læfione facile in cognitionem adfectæ partis deducamur. Sic fenfus, & motus abolitio, nimia vigilia, nimius fomnus, & delirium adfectionem cerebri fignificant. Sic læfio peculiaris alicujus fenfus læfionem indicat organi, ex quo fenfus ille proficifcitur.

Effectus item ea comprehendunt, quæ per partes corporis excernuntur; ex his enim non leve defumitur adfectæ partis indicium. Hinc quoties cartilaginofa fubftantia per tuffim ejicitur, cum talis fubftantia ad afperam arteriam fpectet, ejufque

bronchia

bronchia, hujusmodi partes adfectas esse merito statuimus. Secus vero, si fungosæ carnis frustulum excernatur; indicat enim male adfectam ipsius pulmonis substantiam; quemadmodum spumosæ excretiones cum tussi ejusdem pulmonis adfectionem enunciant, quam etiam declarant copiosæ sanguinis excretiones; vasa enim insignia pulmones obtinent, non trachea. Quod autem spectat ad excrementa, quæ naturaliter continentur in corpore, quoties a vulnere excernuntur fœces, aut urina, statim intestina, aut vesicam vulneratam enunciamus. Si reddatur cibus, vulneratum ventriculum inferimus. At præter naturam contenta quod adtinet, si arenulæ, vel lapilluli cum urina excernantur, adfectionem cognoscimus vesicæ, & renum; & si lumbrici adpareant, signant adfectionem intestinorum. Qualitates etiam excrementorum adfectionem partis enunciant. Hinc si aer exspiratus sit calidior, aut frigidior, has ipsas qualitates inesse pulmoni statuendum est, neque frigiditas citra proximam mortem contingit. Si saporem acidum ructus redoleant, argumento est ventriculum cruditate laborare. Si sanguis tenujor, aut flavior fuerit, & cum saltu exiliat, arteriam indicat vulneratam. Item ex modo excretionis in cognitionem venimus partis adfectæ. Sic excrementa, quæ exspuendo reddimus, signant os adfectum, quæ screando fauces, quæ tussiendo pulmones, atque tracheam, quæ vomendo ventriculum. Nec levis momenti est ordo, in excernendo. Sic in dysenteria si ante fœces excernatur sanguis, aut pus, verosimile est male adfectum esse intestinum rectum. Si vero excernatur post fœces, aut cum his val-

de permistum, vulneratio denotatur intestinorum. Qualitates etiam mutatæ partem sistunt laborantem. Sic ubi calor, aut frigus est, ibi morbus est monente *Hipp.* Nimius, & pertinax in genis rubor pulmonem indicat inflammatum. Sapor amarus bilem vel e ventriculo regurgitantem, vel potius ejusdem bilis redundantiam significat, atque ita de ceteris.

Signa partis sympathice adfectæ desumi posse videntur ab juvantibus, & lædentibus. Nam quoties pars aliqua laborat idiopathice, nisi eidem parti remediis succurratur, nullum, aut saltem non sensibile levamen æger percipit; secus autem si laborat per consensum. Nam admotis remediis parti illi, ex qua derivari morbum suspicamur, cessat morbus, quin laboranti eidem parti per immediatum contactum prospiciamus. Sic urgente capitis dolore absque manifesta caussa, quæ caput ipsum lædat, si stomacho medeamur, etsi manifestam hic adfectionem non exhibeat, & felici cum successu id contingat, capitis nempe dolor evanescat, ant mitescat, argumentum est dolorem capitis propter consensum cum ventriculo excitari. Præterea quoties duabus partibus simul laborantibus alteri admota medicamenta parem utilitatem, paremve noxam alteri adferunt, palam est hanc sympathice adfici illa idiopathice laborante. Sic tam ventriculo, quam capite male adfectis si medicamenta soli ventriculo adhibita æque capiti profuisse comperiantur, vel æque lædant utrumque, significant ventriculum primario, caput vero secundario, & sympathice laborare. Ut plurimum autem adfectus sympathicus non adeo vehemens est,

ut

ut idiopathicus; quare ex duabus partibus una simul laborantibus ea primario adficitur, quæ magis vexatur, altera per consensum. Tandem quæ pars idiopathice patitur gravius in exacerbatione tentatur, quam quæ per sympathiam laborat.

CAPUT VI

DE SIGNIS MORBORUM, ET TEMPORUM MORBI

INter morborum signa alia inminentis, alia præsentis morbi sunt signa. De signis præsentis morbi dictum est, igitur potiora de signis morbi inminentis adferemus. Hæc autem sunt insolitæ, atque insignes functionum mutationes; scilicet malum prænunciant somnus gravis, insomnia turbulenta, vigiliæ perpetuæ, torpor animi, aut sine manifesta caussa inquietudo, capitis gravitas, arteriarum temporalium distensio, & pulsatio, frequentes oscitationes, sudores intempestive oborti, & præsertim circa cervicem, pectus, genua, coxas; *Ubi enim sudor est*, inquit Hipp., *ibi est morbus*. Malum quoque prenunciant animi defectiones; Eodem enim docente *qui sæpe, & sine manifesta caussa animo delinquunt, ii de repente moriuntur*. Idem portendunt spiritus gravior dejectio adpetitus, alvus tardior, urina parcior, & præ ceteris inminuta perspiratio, insueta quædam universi corporis lassitudo; *Spontanei quippe labores*

morbos prænunciant, ut idem docet *Hipp.* Ad hæc si quis & coloratior, & speciosior se ipso fieri videatur, suspecta, ut ait *Celsus*, habere sua bona debet. Cujus rei caussam adfert *Hipp.* quod neque in eodem habitu manere, nec ultra progredi potest, sed decidat in deterius oportet. Pejus tamen signum est, si quis præter caussam emacruit, & vividum illum colorem amisit; Ubi enim macies adest, virium infirmitas, & gravis morbi tollerantia expectari possunt, quippe extenuatio, ut testatur *Galenus*, imbecillitatis virium signum est.

Jam vero quoties indoles, & natura morbi sensibilis innotescit, toties innotescunt ipsius morbi tempora. Sic febrem adhuc in principio esse cognoscimus, quoties incœptus calor per corpus diffusus tenorem eundem servat, in augmento, cum sensibiliter crescit, in statu cum adauctus perseverat, in declinatione tandem, cum incipit paulatim decrescere. In genere autem tenendum illud est, quod in principiis morborum leviora sint omnia, in augmento pejora, in statu pessima, & persistentia, in declinatione actiones magis ad naturalem statum adcedunt. Præterea ab excrementorum cruditate desumuntur indicia; scilicet dum excernenda omnino cruda sunt, nec ullum coctionis rudimentum ostendunt morbi principium significant. Cum aliquod, sed leve initium coctionis adparet morbi augmentum ostenditur, & cum maxima coctionis adparent indicia status ejusdem morbi designatur. Absoluta denique, ac perfecta coctio, & excrementorum in melius conmutatio exoptatam enunciant ipsius morbi declinationem.

Ex

Ex inde vero acuti morbi characteres decerni possunt, & varius acutiei gradus prænosci. Et quidem signa eruuntur 1. ex velocitate, & vehementia incrementi. 2. Ex vehementia symtomatum; *Ubi enim morbus obtinet, statim extremos habet labores* ex *Hipp.* 3. ex læsione functionum. 4. Ab excretis. 5. A constitutione epidemica. 6. Ab anni tempestate. 7. Demum ab effectuum observatione, qui ab humorum peculiari vitio proficiscuntur. At vero celerior, aut tardior acuti morbi solutio prænosci potest ex signis coctionis celerius, aut tardius adparentibus, seu ex signis cruditatis celerius, aut tardius evanescentibus.

Signa morbi periculosi repeti debent ab intensitate majori caussæ noxiæ, sive materiae morbificae, & simul a debili facultate naturae, & magno virium ejus dispendio. Cum enim extremum malum inmineat, quoties vires caussae noxiae, & naturae facultas ad aequilibrium adcedunt, aut haec ab illis superatur, cumque eo sit facilius facultatem ipsam naturae vi caussae noxiae aequari, vel etiam ab illa superari, quo minor est naturae ipsius facultas, ejusque virium majus dispendium, hinc est, ut status ille periculosus censendus sit. Hinc si magna sit intensitas caussae noxiae, & una minor naturae facultas, aegrotanti certa mors impendet.

Denique cruditas morbificae materiae patet ex vigore morbi durante, vel crescente, ab jugi symtomatum augmento, ab exercitio functionum laeso, denique ab excretorum cruditate. Coctio vero ex quiete morbi, ejusque decremento, vitae viribus vel constantibus, vel invalescentibus, ab

imminutione, & sedatione symtomatum, concomitante vitae robore, a restitutione functionum, & excretorum coctione.

CAPUT VII

DE SIGNIS, QUORUM OPE CRISES ET MORBORUM EXITUS PRÆNOSCI POSSINT.

Signa proximam crisim praemonstrantia plurimum faciunt ad morbum, ut par est, tractandum; tunc enim remediorum usus inhibendus est, ne naturam mederi morbo studentem ab opere dimoveamus. Morborum autem solutio per crisim absolvenda duplici modo contingit, paulatim scilicet, aut subito; prior chronicis, seu parvis morbis, hæc acutis convenit. Si ergo ex signis alio loco constitutis praenosci possit morbum esse acutum, praesagiri tuto poterit eundem per crisim terminaturum. Contrarium vero prononuciare licebit, quamvis non ita tuto, & constanter, si eundem lente progredi, sive chronicum, & parvum esse deprehendas. Fieri enim potest, ut morbus, qui & lentus est, & parvus, oborta aliqua crisi terminetur.

Neque vero satis est praenoscere, utrum morbus paulatim, utrum vero per crisim terminaturus sit, sed praeterea & tempus, & criseos species, & quae plurima ad ipsam pertinent sunt adcurate pernoscenda. Itaque signa, quae circa crisim

ſim verſantur, triplici modo conſiderari poſſunt. Etenim alia criſim ipſam antecedunt, alia comitantur, alia ſubſequuntur. Per ſigna, quae criſim antecedunt & tempus, & criſeos ſpecies praenunciatur. Tempus autem criſeos tum ex ſignis cruditatis, & ſubſequentis coctionis, tum etiam ex vehementia ſymtomatum innoteſcit.

Verum coctionis ſigna, & ſimul vehementia ſymtomatum conſideranda ſunt, ut tempus ſubſequuturae criſeos praeſagiri tutius poſſit; quo enim celerius ingraveſcit morbus, eo citius expectanda eſt ſolutio. Inſtare autem criſim indicant perturbatio illa quae critica dicitur, nec non ſymtomata, quae pariter critica nuncupantur, quaeque ſupra a nobis conſtituta ſunt. Ut enim teſtatur *Galenus* criſim futuram inde præcognoſcimus, quod urgeatur, & vehementer irritetur natura a morbo, atque ex ſubita præter rationem facta circa corpus perturbatione. Quibns addit, *quando criſis futura eſt, omnino fit aliqua novitas vel circa reſpirationem, vel circa mentem, vel auditum, vel viſum, vel ferendi facilitatem*. Et ſane dum natura omnibus viribus morbificæ materiæ expulſionem molitur, fieri non poteſt, quin omnia exacerbentur. Hinc legimus apud *Hipp.* aph. 13. ſect. 2. *Quibuscumque criſis fit, iis nox gravis ante adceſſionem exiſtit*.

Jam vero ut judicium aliquod ferre poſſimus, num per excretionem, num vero per abſceſſum expectanda ſit criſis, obſervandum eſt, quod ſi morbus ſit acutus, & vires materiam morbificam moventes validæ ſint, expectanda eſt judicatio per excretionem aliquam, non vero per abſceſſum.

 At

At si morbus fuerit diuturnus, aut vires morbosam ipsam materiam moventes sint languidiores, tunc morbus ipse per abscessum terminabitur. *Quos febres longæ exercent*, inquit *Hipp.* aph. 44. sect. 4. *iis tubercula, vel labores fiunt in articulis*. Tutius vero id præsagietur, si urinæ tenues, & crudæ diu præcesserint, quod pariter idem docuit *Hipp.* 2. prognost. his verbis. *Quicumque urinas tenues, & crudas multo tempore mingunt, si alia veluti superstitibus futuris signa fuerint, in his oportet expectare abscessus in regionibus infra septum transversum*. Abscessum etiam quandoque indicat natura morbi ad eosdem proclivis, ut febres pestilentes acutæ ex decidentia, & nulla signa perfectæ criseos. Ex adverso autem ab omni metu abscessus liberantur quibus urinæ albæ, & crassæ fluxus supervenit, ut idem scribit aph. 47. sect. 4. *Quibus spes est ad articulos futurum abscessum, liberat ab abscessu urina multa crassa, & alba exiens*. Locum vero, ad quem futura traductio est morbosæ materiæ, præ ceteris ostendit cognita relativa partis debilitas, tum pruritus, aut dolor, aut calor, aut rubor, tum demum quicumque in universum molestiæ sensus in parte ipsa percipitur, quæ quidem indicavit *Hipp.* aph. 32. sect. 4. *Quibus convalescentibus ex morbo aliquid laboraverit, illic abscessus fiunt, & si ante morbum aliqua parte doluerint, hic morbus firmatur*. *Galenus* autem 3. de crisibus cap. 2. ait, quod nisi morbus fuerit valde diuturnus, & subito difficultas anhelitus morbo superveniat, deinde adquiescat, atque subsequatur gravitas, & capitis dolor, somnus gravis, & surditas, necesse est, ut in glandulis post aures abscessus fiant.

Nunc

Nunc vero ad tradenda ſigna progrediamur ſingularum excretionum, per quas ſæpius, quam per abſceſſum judicantur morbi. Sanguinis itaque e naribus effluxuri hæc habentur ſigna. Splendores oculis obverſantes, eorundem habetudo, lacrymatio, & rubor, lucis averſatio, rubor item genarum, & narium, colli dolor, temporum gravitas, leves vertiginoſi inſultus, ſpirandi difficultas, hypocondriorum tenſio, ſed ſine dolore. Nam ſi cum dolore conjuncta fuerit, eorum utique inflammationem non profluvium ſanguinis portendit. Ad hæc ſi nares pruriant, jam jam erupturus eſt ſanguis, præſertim ſi dolor circa faciem, & tempora, diſtentio, pulſatio, & calor adfuerit.

Futuri autem vomitus indicia ſunt morſus oris ventriculi, dolor capitis, vertigo, & obverſantes oculis tenebræ, inferioris labri agitatio, frequens ſputatio, profluxus ex ore tenuis, & copioſæ ſalivæ, nauſea, & cibi faſtidium, & algor ſuperveniens.

At expectandus erit alvi fluxus, ſi toto morbi decurſu, præſertim vero die indice paulo fluidior fuerit alvus, ſi indicia deſint ceterarum excretionum, rugitus autem plurimi in imoventre percipiantur, ejuſuque inflatio cum ſenſu quodam gravitatis, & mordicationis adceſſerit.

Sudore ut plurimum terminantur morbi acutiſſimi. In iis etiam, qui mollioris, & laxioris ſunt habitus, facilius erumpit ſudor. Eo autem inſtante rigor vehemens perſentitur anxietas multa circum præcordia, & inquietudo ægrum excruciant, mox levis quidem vapor ab ejus corpore adſurgit, pulſus eſt mollis, fluctuans, undoſus,

exte-

exteriora calent, & rubent, cutis mollis eſt, & tandem ſudore tota perfunditur.

Futura criſis per urinam præcipua hæc habet indicia, ſcilicet ſenſum gravitatis in perinæo, pruritum, & ardorem ad extremum pudendi. Quod ſi die indice urinæ fuerint uberes, ſpes adfulget fore, ut eædem die critico copioſiſſimæ adſint, morbumque ſolvant, præſertim ſi reliquae deficiant excretiones.

Signa futuræ excretionis per menſes innoteſcunt ex gravitate, & æſtu lumborum, dolore, ac tenſione hypogaſtrii, præsertim ſi tempus inſtet, quo fluere illi ſolent in ſtatu ſanitatis, & ea omnia recurrant ſymtomata, quæ ægris superveniunt inſtantibus catameniis.

Denique criticæ excretionis per hæmorrhoides ſigna ſunt æſtus circa ſpinam dorſi, dolor, aut tenſio lumborum, dolor item in abdomine, præſertim circa inteſtinum rectum.

Signa, quæ criſim comitantur, ea ſunt, quorum præſidio cognoſci debet, utrum dum actu perficitur criſis, hæc perfecta ſit, utrum vero imperfecta, ſalutaris, an lethalis. De hiſce autem criſibus alio loco diſſeruimus. Denique ut ea etiam ſigna referantur, quæ criſim ſubſequuntur, ſigna nempe quid poſt criſim futurum ſit demonſtrantia, obſervandum ducimus illud contingere poſſe, ut morbus, qui jam per criſim depulſus videbatur, in alium morbum commutetur. Utrumque autem hoc malum iisdem ſignis prænoſci poterit, quibus optima, ac perfecta criſis præmonſtratur. Si enim vero per ſigna illa cognoſci poſſit criſim in morbo minime omnium perfectam fuiſſe, aut re-

cidiva

cidiva in priorem morbum, aut in novum conversio pertimescenda est.

Denique, ut multa paucis contrahamus, animadvertendum est ea omnia, quibus coctio, expulsioque morbificae materiae retardari, aut alia quavis ratione impediri, ac tubari potest, ea, inquam, omnia aptissima, esse ad recidivas faciendas, aut novos morbos excitandos. Hinc est, ut morbi maligni, & mali moris, & quos viscidi, lentique pariunt humores, item qui per autumnum, & qui male adfectos homines invadunt, diuturni tandem omnes magis obnoxii sint recidivis, quam benigni, verni, aestivi, acuti omnes, & qui bene constituta corpora adgrediuntur. Majorem tamen recidivae, aut alterius morbi metum injiciunt functiones, excretionesque adhuc depravatae, vel nondum ad naturae statum restitutae. Ea de caussa si nec vires, nec adpetitus post crisim erigantur, nec bonus adpareat color, si aliquot tantum res juvent, plurimae autem laedant, si urina parum colorata, & tenuis diu excernatur, & id genus alia observentur in aegris, illi certe in morbum levi quacunque de caussa relabentur.

CAPUT VIII

DE SIGNIS, QUIBUS MORBORUM DURATIO PRÆNOSCI POSSIT.

PLura sunt, ex quibus magna ad præsagiendam morbi durationem indicia desumi possunt;

Ea

Ea ſcilicet nobis exhibent in primis morbificæ materiæ indoles, & natura, ejuſmodi motus, ſtatus cruditatis, aut coctionis, excrementa, & habitus corporis. Itaque ſi materiam morbificam non valde heterogeneam eſſe conſtiterit, ſed talem, quæ ſubigi facile poſſe videatur, conjicere dabitur morbum non adeo in longum abiturum. Contrarium vero continget, ſi contrariæ ſit indolis materia morbum inferens. Exinde autem eſt, ut regio, tempeſtas, juvenilis ætas, bona corporis conſtitutio temperies ægri bilioſa breviores morbos efficere ſoleant, contra vero clima; anni tempus, ſenium, corpus male adfectum, temperamentum ægri phlegmaticum, terreſtris, ſalina, & fluiviſcidi dorum conſtitutio diuturnos morbos excitare conſueverint. Quare ex hiſce omnibus materiæ morboſæ conditio, atque adeo brevitas etiam, aut diuturnitas morbi primum innoteſunt.

Hæc autem adhuc certius ſtatuentur, ſi ejuſdem materiæ morbificæ motus conſideretur, quem ſane nobis exhibent adceſſio, & coctionis progreſſio. Bene in hanc rem animadvertit *Galenus*, dum ait, quod quæcunque morborum adceſſiones celerrime perficiuntur, cito ſolutum iri morbum ſignificant; quare vehemens ille motus criſim brevi futuram portendit. Contra vero tanto longiorem futurum morbum prænuuciant adceſſiones, quo fuerint illæ longiores. Item quæ citius invadunt adceſſiones breviorem indicant morbum, quæ vero lentius, aut ſtata ſemper hora diuturniorem fore ſignificant. Quod ſane docuit *Hipp.* 3. Sect. 4. *Quibuſcumque*, inquit, *adſceſſiones fiunt, quacunque tandem hora febris dimiſerit, ſi poſtridie*

eadem

eadem, qua antea, hora conripuerit, judicium habent difficile; scilicet reditus ille constans vim, atque heterogeneitatem caussæ morbosæ haud facile mutabilem ostendit. Demum quicunque morbi tertio quoque die suas habent exacerbationes, breviores esse solent, quam qui singulis diebus exacerbantur; maxime vero omnium diuturni sunt qui quarto semper die recrodescunt. Breviores item esse consueverunt qui circa mecidiem, quam qui matutinis, aut vespertinis horis invalescunt.

Coctionem vero quod adtinet, ex iis, quæ supra a nobis constituta sunt intelligi satis potest, quantum faciat coctio ipsa ad durationem morbi prænunciandam. Quo citius igitur ejus adparebunt indicia, & quo celerius erit ipsius incrementum, eo citius expectanda est morbi solutio; nunquam enim mala reputantur signa coctionis, quocumque tempore adpareant.

Sunt præterea qui certam aliquam, ac definitam totius morbi mensuram ab eadem coctione definiri posse contendant, statuantque tantum temporis ad integram morbi salutionem requiri, quantum interjicitur ab initio morbi ad usque manifesta coctionis indicia, quod quidem ex plurimis historiis ab *Hipp.* traditis confirmant. Verum in hac re caute pronunciet Medicus oportet, si sapiat. Enim vero contingere multa possunt in processu morbi, quibus coctionis progressus, & expulsio materiæ morbificæ aut adceleretur, aut turbetur, atque adeo morbus ipse aut breviari, aut produci potest.

Quod tandem pertinet ad actiones, excrementa, & habitum corporis quo plures sunt, &

majo-

majores actionnm læsiones, eo longior pertimescendus est morbus, modo tamen evasurus sit æger. Item quo magis excrementa, & habitus corporis a naturali constitutione recesserint, eo magis de pertinacia morbi, deque ægrotantis vita timendum est. Sic urina, quæ tenuis est, ac decolor nullumve, aut valde tenue, aut contra nimis crassum, & grave sedimentum demittit, quæque modo in melius, modo in deterius conmutatur, vel cui innatant bullæ, morbi diuturnitatem prænunciat, ut pluribus in locis docet *Hipp.* Sic citissime solvetur morbus vel ad salutem, vel ad mortem, aut in alium morbum pravioris naturæ degenerabit, si pessimæ adfectiones in urinis occurrant, simulque morbi symtomata vividius recrudescant. Sic etiam in febre mediocri sudores frigidi diuturnam fore febrim portendunt. Habitus vero corporis si plurimum extenuatus fuerit, vel si ut aph. 28. Sect. 2. habet idem *Hipp. non omnino leviter febricitanti permaneat, & nihil minuatur corpus, longitudo morbi significatur*. Idem etiam portendit color vehementer pallidus, aut citrinus.

Ad hæc tandem anni tempus attendendnm est; quippe quod certi aliquid de longitudine, aut brevitate morbi prænunciare potest. Quare eadem morbi species diutius autumnali, quam verno tempore protrahetur.

CAPUT IX

DE SIGNIS PROGNOSTICIS EORUMQUE DIVISIONE, ET NATURA.

PRognosis, quæ a nobis hoc loco consideratur, tum circa eventum morbi versatur, tum circa modum eventus. Quo ad primum præsagitur, an morbus futurus sit salutaris, an vero lethalis; alterum quod spectat, prædicitur quonam crisis genere terminaturus sit morbus. Hinc duplex oritur prognosticorum signorum genus, ut alia vocentur signa salutis, aut mortis, alia critica, seu judicatoria. Prognostica signa salutis, aut mortis sunt ea, quæ cum urinis, fœcibus, & cum sudore excernuntur. Item facilis, aut difficilis respiratio, lenis, aut difficilis morbi tolerantia, pulsus, & facies a naturali non multum recedentes, decens corporis decubitus, aut his contraria. Signa vero critica sunt quæ subitam mutationem, ac turbationem prænunciant, & ex his quædam sunt tanquam signa, & caussæ simul, ut vomitus, urinæ copia, fluxus sanguinis e naribus, sudores, parotides, & similia. Quædam autem sunt tantum signa, ut delirium, sopor, vigilia, inquietudo, aurium sonitus, tenebræ ob oculos obortæ, aut splendores oculis obversantes, nox absque evidenti ratione molesta, & id genus alia, hoc tamen cum discrimine, quod illorum nonnulla maximam vim habeant ad futuram crisim præsagiendam, alia

alia vero non eadem polleant virtute, sed minus efficacia sint.

Critica signa, nisi se obferant in statu morbi, semper suspecta esse debent, ut in principio, aut augmento; neque enim vomitus, sudor, alvi profluvium, tumores ad aures si in principio adpareant, motu critico morbos solvunt, adeoque nec ea quibus hæc ipsa præsagiuntur, in principio laudantur. Sic deliria, vigiliæ, dolores, difficultates spirandi, tenebræ ob oculos, aut splendores si crudo adhuc existente stomacho adpareant, nihil boni significant, sed pessimæ constitutionis sunt signa. Prognostica ex variis fontibus desumuntur, ut ex dicendis constabit.

CAPUT X

DE PROGNOSTICIS EX ACTIONUM LÆSIONE REPETENDIS ET PRIMUM DE PROGNOSTICIS EX DELIRIO.

IN *quovis morbo mente constare, & bene ad ea, quæ adsumuntur, habere, bonum, contrarium vero malum*, ut docet *Hipp.* aph. 33. Sect. 2. Neque solum est malum teneri delirio, sed periculosissimum etiam est, delirium audax, & temerarium observante *Galeno*. Minus adhuc periculosum, quod est cum mœstitia, tutius, quod est cum risu. Neque vero ad solum delirium, sed & ad alia, quæ adsunt signa, respiciendum est. Ubi enim

cum

cum delirio, eoque miti bona signa conjungantur, minus adest periculi; ubi vero cum delirio reliqua prava conspirant, exitiale. Tria autem sunt, quæ præ ceteris adtendi debent in præsagiendo ex delirio, ut notat *Galenus*, videlicet robur pulsus, respiratio inculpata, & salvus adpetitus; quare si delirium cum robore pulsus, respiratione inculpata, & salvo adpetitu conjungatur, certissimum est argumentum satis virium naturæ inesse ad servandum ægrum per integrum morbi decursum. Delirium cum minori periculo est, si sedetur a somno, ut habet *Hip.* aph. 2. Sect. 2. Perniciosa vero deliria judicantur ex ipsorum magnitudine, tempore, aliisque signis, quæ cum illis copulantur. Nam prava signa cum deliriis adparentia mortem minantur, lethalia vero certum, & instans exitium significant. De his multa observat *Hipp.* Præcipue generale est, quod habetur 1. prorrhet; *Desipientiæ, ait, quæ jam admodum fractis, debilitatisque viribus succedunt, pessimæ.* Et in coac. 4. *In febribus insaniæ vehementes silente ægro, sed non privato voce lethales sunt.* Et 1. prorrhet. *Mente ob melancholiam aberrantibus tremores supervenientes maligni. Et in coac. 3. qui cum his, quæ supra dicta sunt, furiosa, & vehementi mentis motione tenentur, ii si tremuli evadant, maligne habere judicantur. Iterum in vehementi phrenitide tremores mortiferi.* Et rursus *vacillationes mentis cum voce clangosa, & linguæ conversiones cum tremore, & voces ipsæ obtremiscentes mentis judicant alienationem.* Pessimum præterea signum est ex *Hipp. & Gal.* si æger non dormiat, aut si cum somno delirium augetur. Infausta quoque pertendit phrenesia levis in principio sed quæ variat. Præterea sum-

summopere pertimescendum est delirium in principio cujusvis morbi, nec ullo proinde coctionis signo adparente, cum in phrenesim abeat obser- vante *Gal.* Denique, ut plura alia hic omittamus, subitus reditus rationis in ægro phrenesi laborante mortem proximam prænunciant, si nec minuatur febris, nec crisis præcesserit.

Contra nullum periculum portendit delirium, si ad breve tempus duret, nec ulli funesto signo conjungatur, & vires ægri constent; secus ipsum ferre natura non potest. Item ex pluribus locis *Hipp.* docemur delirium fausta portendere, si aliqua evacuatio salutaris subsequatur. Infausta contra prænunciat, si precedat evacuationem malæ speciei, ex gr. aliquot guttarum sanguinis pernares, sudores frigidos capitis, & similia. Salutares autem sunt evacuationes, cum ipsarum quantitas proportione respondet humorum peccantium quantitati, cum ejus sunt qualitatis, ut ejici debeant, cum fiunt per conveniens emunctorium, & opportune, scilicet in vigore morbi, vel in die critico, cum subsequitur inminutio morbi, ejusque symtomatum, vel morbus, & symtomata prenitus auferuntur. Ita salutaris est fluxus copiosus sanguinis e naribus, menstrua delirium comitantia, vel subsequentia, hæmorrhoides delirium subsequentes, ut habet *Hipp.* aph. 21. Sect. 6. Idem præsagit somnus tranquillus post delirium, ut & cessatio delirii a somno, quod supra etiam adnotavimus.

CAPUT XI

DE PROGNOSTICIS EX OBLIVIONE.

ALter læsæ facultatis effectus est rerum oblivio. De hac autem *Hipp.* 2. prorrhet. ait. *Ignorantia cum rigore mala, mala item oblivio.* At vero quæ cum delirio adcedit oblivio minus periculosa censetur, si delirium, cum quo adpareat, non sit periculosum.

CAPUT XII

DE PROGNOSTICIS EX VIGILIA, ET SOMNO.

PLurima desumi possunt a vigilia, & somno indicia læsæ facultatis, aut contra inculpatæ. *Hipp.* 2. prænot. ait de somno. *Quemadmodum ex natura, & consuetudine est interdiu vigilandum, noctu dormiendum, si contra commutetur, pejus est; minime vero offendit, si quis dormiat prima luce ad tertiam diei partem, qui vero ab hoc tempore fit somnus deterior est.* Pessimum vero est signum, si neque interdiu, neque noctu dormiat; dolor enim, ac labor, vel desipientia ab eo signatur. Idem aph. 3. Sect. 2. ait. *Somnus, & vigilia utraque*

modum excedentia, *malum*. De vigilia hic notandum occurrit, quod licet mala dicatur, quoties est inmodica, nihilominus mala non sit, quoties adcidit nocte, quæ crisim præcedit. Nam monente *Hipp.* aph. 13. Sect. 2. *Quibus crisis fit*, *nox*, *quæ adscessionem præcedit*, *molesta*. Et in prorrhet. *Vigilia recensetur inter syntomata*, *quæ criticas sanguinis profusiones præcedere solent*. Ceterum semper malæ sunt vigiliæ iis præsertim ægrotis, qui sicciori sunt corporis habitu. Malæ item sunt vigiliæ, quæ cum vomitu æruginoso, dolore capitis, delirio, frigore, sudore capitis constanti, & copioso copulantur; funestæ etiam quas subsequitur coma.

Ad somnum quod adtinet, non leve hic indicium nobis adfert de futuro morbi eventu. Nam *ubi somnus in morbo laborem adfert*, *lethale est* ex *Hipp.* aph. 1. Sect. 2., ubi vero levamen, non est mortiferum. In convalescentia a morbis acutis persomnolentia salutaris, initio autem febrium periculosa. In coac. hæc habentur; *somni profundi*, *neque turbulenti*, *sed tranquilli*, *& sereni firmum judicium signant*, *sive bona præsagiunt*. Contrarium vero censendum de adfectibus soporosis, & comatosis, in quibus quo fortior, & profundior somnus est, eo deterior est morbus. Hac autem conjectura naturalis profundus somnus a lethargico, & comatoso distinguitur, in hoc siquidem vix expergiscuntur ægri, quamvis ab extrinseco tentenspergiscuntur. Contra in naturali sine difficultate expergefiunt. Huc pertinet dormiendi modus; Funestum enim est hianti patuloque ore dormire; quin sopor extremus, sive adfectio lethargica post longas vigi-

vigilias lethalis est ex eodem *Hipp.* Huc etiam spectat, quod idem habet aph. 52. Sect. 6. scilicet *consideranda esse quæ ex oculis per somnum subadparent: Nam si quid ex albo non conmissis palbebris subadpareat, neque id ex alvi profluvio, aut medicamenti potione contingat, pravum signum est, & valde lethale.*

CAPUT XIII

DE PROGNOSTICIS EX LÆSIONE SENSUUM EXTERNORUM

LÆsiones sensuum externorum notabiles exhibent conjecturas de natura morbi; in primis autem visus læsio summe periculosa esse solet post crisim imperfectam, ut habet *Hipp.* aph. 49. sect. 4. Ait enim *in febre non intermittente si æger non videat imbecillo jam corpore, mors est proxima.* Eadem quoque docet in coac. Auditus autem læsio, si ex crisi adcidat, non semper mala est, ut deliria, tenebræ oculis obortæ, anxietates, & alia id genus symtomata. Est vero pessima, si languescentibus viribus citra crisim adcidat. Præterea mala est post modicam sanguinis eruptionem, nigramque dejectionem in morbis acutis, ut ex prorrhet. & ex coac. edocemur. Surditas in acutis post septimum diem, cum aliis bonis signis reconvalescentiæ indicia præbet, ut observat *Baglivius*. Docet autem *Hipp.* quod quibus in febribus ardentibus

aures obsurdescunt, iis non soluta febre necessum est delirare; solvit vero inter alia vel hæmorrhagia narium vel diarrhœa biliosa. *Qui capite dolent cum aliqua surditate, manuum tremore, cervicis dolore, nigricantes reddentes urinas, & densas, ii si nigra evomuerint, perniciose habent.* Iterum in coac. *Surditas in acutis, & turbulentis morbis obveniens mala est.* Quin & in longis morbis malum portendit. Sonitus quoque & tinnitus aurium continuus si cum signis adcidat cruditatis, atque die non critico, & viribus languidis lethalem portendit phrenitidem. Ceterum in vigore morbi, & diebus decretoriis adcidens hæmorrhagiam indicat narium. Tinniunt autem aures iis, quibus fluxurus est sanguis e naribus, & iste tinnitus perfecta crisi terminatur, ut monet *Riverius*. Olfactus vitium nihil peculiare videtur portendere, nisi quatenus multum, aut parum a naturali statu ille recedit, & a putredine humorum plus minus læditur. Quod adtinet ad gustum, adcidit interdum, ut æger cuncta amara, vel salsa, quæ obferuntur, percipiat, quod certe naturam peccantium humorum declarat. At hoc pro præsagiis efficiendis non magnum habet momentum, nisi magnus, atque continuus fuerit a natura recessus; habet tamen, si æger extincta facultate gustu privetur, reliquis pravis signis concurrentibus. Tactus denique vitiatus læsam indicat facultatem, & quidem si stupor adcidat, qui vel extinctum in partibus calorem, vel præpeditum, aut maxime vitiatum arguat influxum per nervos, maximam indicat vim morbi. Et *Hipp.* in coac. ait, quod *rigores multi torporem ferentes maligni sint*.

C A-

CAPUT XIV

DE PROGNOSTICIS EX DOLORIBUS

DOlores, qui ad læfionem pertinent alicujus facultatis, dupliciter confiderantur, nimirum vel in principio morbi, vel poft adparentes coctiones. Qui fub initium contingunt rationem plerumque habent fignorum pathognomonicorum, & vifcus aliquod inflammatum denunciant, & inflammatorii nuncupantur, fi quando dolor cum febre, tumore, vel tenfione, aut punctura partem conripiat. Hujufmodi autem dolores parum mali portendunt, nifi fuerint vehementes vel conftantes, fed poft aliquam aut fpontaneam, aut arte paratam evacuationem remittantur. Qui contra diu perfeverant abfceffus fæpe prænunciant. Qui procedente morbo eveniunt haud cenfentur mali, quod fcilicet crifim enuncient poft fanginis eruptionem, vel vomitum, vel aliquam aliam evacuationem adfuturam. Unde *Hipp.* 1. epidem. ait. *In ardentibus, ceterifque febribus, quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypocondrii contentio cum dolore conripit, his e naribus fanguis profluit.* Et 3. prorrhet. *Cervicis dolores, & impenfe rubri oculi fanguinis eruptionem oftendunt.* Bonum omen portendunt dolores, adparente jam coctione, fi in partibus remotis, & a vifceribus longe diftantibus die præfertim decretorio percipiantur; indicant enim morbificam materiam ad

partes ignobiles devolvi, quod ſane optimum eſt in quolibet morbo. Hinc *Hipp.* in coac. ait. *In longis febribus vel tubercula, vel labores fiunt in articulis, & ſi fiant non inutile*. Idem aph. 40. ſect. 4. ait. *Si adſit dolor circa præcordia ſine inflammatione, & febris ſuperveniat, hæc dolorem pellet*. Et aph. 52. ſect. 7. *Si adſit dolor circa jecur, & ſuperveniat febris, hæc dolorem ejiciet*. Idem prorrhet. 152. *Dolores capitis, & colli cum debilitate, & tremore totius corporis conjuncti proceſſu temporis ceſſabunt, vel hæmorragia terminabuntur*. Item in prognoſt. *Dolores, & tumores hypocondriorum ſi recentes fuerint, & ſine inflammatione, terminabunt cum borborigmis in illis partibus, vel efficacius cum evacuatione flatuum per ſeceſſum, vel per urinas*. Et in coac. *Dolor lateris in febribus mitigabitur copioſa evacuatione materiæ aquoſæ, & bilioſæ per alvum;* ibidemque *fluxus puris per naſum, vel evacuatio materiæ denſæ, & purulentæ per ſputum cephallalgiam ſiſtit, quæ interdum terminatur eruptione puſtularum, ſomno, vel fluxu ventris*. Et aph. 10. ſect. 6. *Fluxus puris, aquæ, aut ſanguinis per os, nares, aures, vehementem capitis dolorem ſiſtit*. Dolores mali ſunt dolores omnes, qui principes partes infeſtant, præſertim ſi cum febre continua, aliiſque malis adcidentibus conjungantur. Hinc *Hipp.* aph. 65. ſect. 4. ait *In febribus circa ventriculum vehemens æſtus, & cordis morſus, malum:* Et ſequenti aph. *In acutis febribus convulſiones, & circa viſcera vehementes dolores, malum*. Et 1. prorrhet. *Deſperandum eſt de ſalute ægri, quem vehemens gutturis dolor adprehenderit cum tumore, anxietate, & ſubfocatione*. Idem in prognoſt. ſcribit *hujuſmodi*

dolorem

dolorem gutturis, & *octophnœam sine ullo tumoris indicio in gutture, vel collo cito ægrum interimere*. Ibidem 3. *Capitis dolor vehemens*, & *continuus cum febre si quid ex indiciis extiterit exitiosi, lethalis admodum est*. Ibidem etiam 2. *Dolores, qui cum febre adfligunt circa lumbos*, & *inferas sedes, si præcordia adtigerint inferas relinquentes sedes sunt admodum exitiales. Itaque considerari debent & alia signa; Nam si aliquod & horum pravum extiterit, depravatus est æger; si vero adscendente ad præcordia morbo alia signa non prava extiterint, talem fore purulentum admodum expectamus*. Et aph. 26. sect. 7. *In vehementi ventris dolore extremorum perfrigeratio, malum*. Et in prorrhet. docet, *quod dolor fixus pectoris cum stupore triste symtoma sit*; nam si febris superveniat, dolor ille inflammatorius erit, & lethalis. Ibidem etiam ait. *In doloribus capitis vomitus æruginosos, vigiliam, & surditatem proximum delirium prænunciare*. Monet præterea, *quod si pleuritico dolor lateris sine ratione sufficienti evanescat, delirium præsto sit, & intra 12. horas mors*. In sect. autem 7. aph. 22. docet *dolores continuos signum esse subpurationis*. Et in prorrhet. *quod dolor capitis, coma, surditas indicent formationem abscessus pone aurem*. Ibidem quoque ait *dolores subfocantes gutturis sine tumore minantur convulsiones, præsertim si ex capite proveniant*. Eodem pariter loco docet, *quod dolor renum, cephalalgia, cardialgia, & expectoratio difficilis prænuncient convulsiones*. Idem denique in prognost. ait. *Aurium dolor cum febre continua, ac vehementi difficilis est; periculum enim delirii, & mortis inminet; natu minores septimo die, aut citius ab hoc morbo interimuntur, na-*

tu

tu vero majores multo tardius; febris enim ac delirium minus eosdem infestat.

CAPUT XV

DE PROGNOSTICIS EX GRAVEDINE PARTIUM, LASSITUDINE, ET VIRIUM EXSOLUTIONE

DOLori proxima est gravedo partium. De hac ait *Hipp.* in coac. *Gravitas totius corporis, manuum item, ac pedum pestifera.* Ibidem *dolores capitis acuti cum stupore, & sensu gravitatis conjuncti indicant dispositionem ad convulsiones.* Et in epidem. *Dolores, & gravitas capitis, & colli cum febre, vel sine febre in iis, qui phrenesi laborant, terminantur vel convulsione, vel vomitu æruginoso, & putrido, & hoc postremo casu æger de repente moritur.* Idem aph. 31. 32. sect. 4. docet a lassitune locali in febribus declinantibus apostemata, seu abscessum prænunciari. Dejectio autem virium in iis, qui morbo aliquo laborarunt, nihil mali portendit; sed ex *Hipp.* pessimum symtoma est in ægrotantibus, si nullæ præcesserint evacuationes, & in sanis etiam, si nec ab exercitatione aliqua, nec a pathemate, nec ab ulla manifesta caussa proficiscatur.

C A-

CAPUT XVI.

DE PROGNOSTICIS EX MOTU, ET DECUBITU.

EX motu non levia de salutari, vel mortifero statu facultatum indicia desumuntur. *Hip.* 2. prognost. ait. *Qui morbo vexatur, facile convertatur, & sit resurgendo levis oportet*. Huc spectat ægri decubitus, qui censetur optimus, quoties secundum sanorum constitutionem servatur; hyperbolicæ quippe constitutiones, ut *Galeni* verbis utar, periculum semper indicant; nempe cum ægri decumbunt aut omnino contracti, aut omnino distenti. Et *Hipp.* in prognost. ait *ægrum a Medico cubantem offendi oportere in latus dextrum, aut sinistrum, ac manus, cervicem, crura paulum retracta habentem, & omne corpus molliter positum; ita enim plerique bene valentium cubant*. Profecto nisi decubitus secundum consuetidinem servetur, manifestum est argumentum aut desipientiæ, aut doloris naturalem constitutionem præpedientis. Maxime autem adtendendæ sunt *Hipp.* animadversiones de decubitu in 1. prognost. ubi hæc habet. *Supinum vero cubare manibus, & cruribus extentis minus bonum est. Si vero procliviorem, ac deorsum delabitur subinde ad pedes, majori periculo est. Ubi pedes nudat, neque iis calor subest, ubi brachia, cervicem, & crura inæquabiliter dispergit, ac nudat, mali morbi, agonisque signum est*. Perniciosissimum est ubi

quis

quis hians adſidue dormit, ubi ſupinus jacet cruribus vehementer contortis, & complicatis; ſed longe peſſimum eſt indicium in iis, qui pulmonibus laborant, ſi in ipso morbi vigore reſidere velint erecti, quanquam hoc ſit ſemper malum in morbo quolibet acuto.

CAPUT XVII

DE PROGNOSTICIS EX ANXIETATE

ANxietas, & inquietudo dicitur, cum ægri in plures decubitus formas tranſmutantur, nec uno in loco quieſcunt, ſed huc illuc ſe ſe jactant. Hujuſmodi inquietudo, & corporis jactatio, ſi criſim præcedat, non adeo periculoſa eſt, ut alibi diximus; neque item admodum metuenda in adfectibus ventriculi, qui ut plurimum vomitu tolluntur; neque rurſus in febre ardente, dum viget paroxyſmus, dummodo declinante febre declinet & ipſa jactatio. Ceteris etiam multo minus periculoſa eſt illa præcordiorum, & ſtomachi anxietas vehemens, quæ hyſtericas mulieres, & hypocondriacos homines, & qui delicatiori, & molliori genere nervoſo præditi ſunt, ſæpius diſcruciat, præſertim ſi per cathartica acria exagitentur; cito enim diſcutitur mictione urinæ uberrimæ, & limpidæ, flatibus ano, vel cato erumpentibus, ſpirituoſorum odoratu, & aliis hujuſmodi auxiliis. Ceterum inquietudines omnes ſi notabiles

les fuerint, malæ sunt, ut ex 2. prorrhet. patet; & ex his, quæ cum refrigeratione fiunt, vel cum sudoribus mali moris die critico superveniunt, pessimæ reputantur ab *Hipp.* in coac. Item perniciosissimæ, & lethales inquietudines, & anxietates, quæ conjunguntur maximæ debilitati ortæ ab excedentibus evacuationibus.

CAPUT XVIII

DE PROGNOSTICIS EX CONVUSIONIBUS, TREMORIBUS, HORRORIBUS, RIGORIBUS, ET TORPORIBUS.

DEpravatum respiciunt motum convulsiones, tremores, horrores, rigores, resolutiones quarundam partium, & ex his argumenta desumuntur futuri morborum eventus. Quo validior itaque fuerit convulsio, & magis depravatus motus, eo validior signatur morbus. Perniciosa censetur quæ difficilem reddit respirationem, interruptam atque suspiriosam, & quæ copiosum subsequitur fluxum sanguinis, ut habetur ex aph. 3. Sect. 5. Quæ item ab helleboro, & a medicamenti potione, ut ex aph. 1. ejusdem Sect. & ex aph. 25. 7. atque ex aph. 56. 5. De muliebri profluvio habetur in specie, quod convulsio, aut animi defectus si ei superveniat, malum; malum quoque, si convulsio fiat ex vulnere, ut docet aph. 2. Sect 5. In coac. autem habetur; *convulsio febri*

bri succedens lethalis, minime vero pueris. Minus periculosa censetur convulsio, quæ ex aliquo adcidente suboritur, nec diu perseverat; quo respicit *Hipp.* adsertum in coac.. *Convulsio in febre facta si quidem eodem die conquiescit, bonum*. Ubi addit; *Convulsio in febre suborta febrem solvit eadem die, aut altera, aut certe tertia; quod si tempus transgrediatur, quo incœpit, nec desinat, malum*. In coac. rursus de reliquis convulsionibus habet. *Cum febre acuta convulsiones lethales*. Et aph. 49. Sect. 4. ait. *In quavis febre non intermittente si labia, cilia, oculi, vel nasus convulsionibus corripiantur, æger visum amittat, vel auditum, & sit maxime debilis, mors proxima est*. Idem alio loco ait, *Convulsiones, & dolores viscerum nihil boni in febribus acutis ominari, sed mortem ostia pulsare, quoties cum debilitate summa conjungantur*. Convulsiones ortæ a doloribus, aut obstinatis vigiliis in febribus acutis lethales sunt, ut habetur ex aph. 18. Sect. 7. & hujus generis sunt illæ, quæ ex purgatione copiosa profluunt, vel ab ingenti aliqua avacuatione, ut constat ex aph. 3. Sect. 5. & 56. 4. Convulsio orta ab inflammatione ilei perniciosa. Vide aph. 10. Sect. 5. & plura alia *Hipp.* loca. Ut autem certiora sumi possint indicia ex convulsione, perpedenda sunt reliqua signa; nisi enim & hæc prava fuerint, non omnino periculum inminet.

Tremor, qui est musculorum, & nervorum adfectio, & virium imbecillitatem significat, periculum auget, si prava fuerint reliqua symtomata, & perpetuo malus existit in febribus ardentibus, in inflammatione cerebri, & similibus nervorum læsio-

læsionibus prope originem, unde delirium illi succedit, ut habet aph. 26. Sect. 6. Boni ominis est, si paralysi superveniat.

Horror quoque morbis superveniens non est contemnendus. Nam monente *Hipp.* aph. 4. Sect. 7. *a sudore horrores, non bonum*. Qui crebris, levibusque horroribus desudant; difficili morbo laborant. Rigores, qui periodice in intermittentibus adcidunt, periculosi esse non solent, neque item in continuis, si post coctionis signa supervenerint, immo sunt crisium argumenta. Nam ut docemur ex aph. 58. Sect. 4; *si febre ardente laboranti rigor superveniat, solutio fit*. Ceterum qui rigores adcidunt cruda adhuc materia, a quibus corpus non incalescit, quos nulla, aut mala evacuatio, aut morbi remissio sequitur, omnes mali censentur. Hinc *Hipp.*aph. 29. Sect. 4. *Febricitantibus*, ait, *si sexto die rigores fiant, indicationem habeat difficilem*. Et in prorrhet. *In rigore refrigerationes, quæ non recalescunt, malæ*. Et aph. 46. Sect. 4. atque in coac. *si rigor in febre continua ægro jam debili incidat, lethale est*. Plures alii occurrunt de rigoribus *Hipp.* textus, quos vide.

Torpor demum, qui est pravæ cujusdam paralyseos species; perpetuo malum significat. Si enim citra febrim fiat, apoplexiam enunciat, si in febre adcidat, malignitatem ex *Hipp.* in coac.

His addi posset stridor, vel conlisio dentium, quæ ex *Hipp.* omnino funesta est in delirantibus; semper autem fanaticum, & mortiferum est stridere dentesve conlidere, si cui a puero familiare non sit.

C A-

CAPUT XIX

DE PROGNOSTICIS EX SINGULTIBUS STERNUTATIONE, ET OSCEDINE

EST convulſioni adfinis ſingultus, qui ſi citra febrim adcidat, aut alium morbum, non eſt periculoſus, ſed periculum portendit in febribus inflammatoriis, & poſt nimiam evacuationem, unde poſt copioſum ſaguinis fluxum, aut nimiam purgationem malus dicitur aph. 3. & 4. ſect. 5. *A vomitu quoque ſingultus, & oculorum rubor, malum,* ut docet aph. 3. ſect. 7. Perniciofus eſt ſingultus ab hepatis inflammatione, ut habetur ex aph. 58. ſect. 5 & 17. 7. Item *ab ileo ſingultus, malum,* ut patet ex aph. 10. ſect. 7. Si ſingultus febribus malignis ſuperveniens circa dies criticos occurrat, & reliqua ſigna præſertim coctionis in urina fuerint bona, hunc ſingultum nihil mali portendere, ſed vomitum, aut alvi fluxum criticum prænunciare teſtatur *Hoffmannus*. Si in febre trietophia ſingultus, & aurigo quinto die ſuperveniant, lethale eſt ex *Hipp.* Convaleſcere tamen aliquem vidit *Sauvageſius*, ut refert. In ſingultu typhode ſi adſint ſigna terrifica, ut magna ſitis, magna item debilitas, vigiliæ, delirium, ardor ingens, tremor maxillæ, convulſio, vocis interceptio, urina diluta, mortiferum ex eodem *Hoffmanno*. Lethalis etiam cito a vulnere ventriculi, ſi cum vomitu, & pulſu parvo copuletur ex *Sauvageſio*. Animad-

ver-

vertendum generatim eſt de ſingultu non omnino periculum ab ipſo inminere, niſi reliqua ſigna prava fuerint.

Sternutatio critica, ſeu ſalutaris eſt in febribus malignis, ut teſtantur *Hipp.* & *Riverius*; quin deſperatis etiam rebus ſalutem promittit. Inſalubris autem eſt in morbis inflammatoriis pectoris, cujus dolores intendit. Quamvis autem bona ſit ex *Hipp.* in gyſteria, & in partu difficili, interdum tamen præmaturum fœtum expellit, & menorrhagiam, nec non hæmorrhagiam narium movet importuna ſternutatio.

Oscedo in morbis hæmorrhagicis metuenda eſt, ut patet ex canicidiis; convulſiones lethiferas præſagit obſervantibus *Schrodero*, *&* *Buchnero*. Exitioſum ſymtoma eſt in parturitione superveniens; prodromus enim eſt cari funeſti, & cardialgiæ, nec non colici adfectus, & morbi hyſterici, ut docet inluſtriſſimus *Sauvageſius*.

CAPUT XX.

DE PROGNOSTICIS EX VITIIS VOCIS

VItia vocis ſunt depravati motus adfectiones, & præclara de hisce vitiis docet *Hipp.* Sic 1. prorrhet. ait. *Ex vomitu gravi, faſtidioſoque vox clangoſa, oculique concretum pulviſculum habentes veſaniam oſtendunt.* Et rurſus *Vacillationes mentis cum voce clangoſa, & linguæ convulſiones cum tre-*

more, *& voces ipsæ obtremiscentes mentis indicant alienationem*. Et in coac. *Vox acuta*, *& lugubris*, *& oculorum hebetudo convulsiones minantur*. Et inferius. *Cum voce tremula alvi præter rationem solutio in iis longiori tempore perseverante malo*, *lethale*. Aphonia etsi non semper lethalis sit, ut in nonnullis adcidentibus contingit, est tamen ut plurimum exitialis. Habetur in coac. *Vocis defectiones cum exsolutione virium pessimæ*. Ibidem *Quos vox cum febre absque ulla indicatione deficit*, *ii tremuli intereunt*. Quibus ex dolore aphoniæ adcidunt, ii tandem cum gravi cruciatu moriuntur. Docet aph. 5. sect. 5. quod *si quis ebrius repente voce privetur*, *convulsus moritur*, *si non febris conripuerit*, *aut ubi ad horam*, *qua crapulæ solvuntur*, *loquatur*. Tandem. aph. 51. sect. 6. hæc habet. *Quibuscumque sanis de repente dolores fiunt in capite*, *& statim voce intercepta jacent*, *ac stertunt*, *in septem diebus pereunt*, *si non febris adprehenderit*.

CAPUT XXI

DE PROGNOSTICIS EX FAME, ET SITI.

Cum animale corpus esculentis, & poculentis reficiatur, ab iisque vires conserventur, idcirco expendendum est Medico, an corpus rite hæc obeat officia, atque adeo animadvertat oportet quomodo adpetat, quo modo concoquat. Et

si

si quidem cibum bene adpetat æger, ipsumque juxta consuetudinem concoquat, optimum est indicium, ut monet *Hipp.* aph. 33. sect. 2. Si vero cibum non modo non adpetat, sed oblatum omnino aversetur, pessimum est. Et *in morbo diuturno cibi fastidium, & sinceræ dejectiones malæ,* eodem monente *Hipp.* aph. 6. sect. 7. Idem etiam ait aph. 3. ejusdem sectionis. *In longis dysenteriis cibi fastidium malum, & cum febre pejus.* Inappetentia periculum portendit in fine morbi post longam debilitatem, & copiosam evacuationem. Præterea semper mala, semper suspecta, semper timenda in omnibus morbis, sed potissimum in cacheticis. Post curatos morbos superstes recidivam prænunciat, quo respiciens *Baglivius* jure optimo dicere consueverat se nullis aliis bonis signis exhilarari, si fames desit. Mala etiam est in pueris, qui natura edones sunt; indicat enim magnam functionum depravationem. Diuturnæ quidem inappetentiæ malæ sunt. Verum si inappetentia ab aliqua bilis portione ad ventriculum adscendente suboriatur, non ita periculosa est; sed neque erit diuturna; bile enim utcumque discussa recedit nausea.

Sitis pariter, quae & morbo, & temperamento, & aliis respondeat, periculo vacat. Sed si inmanis fuerit ardente non vigente febri, vel contra, semper suspecta est, ut habetur ex 2. prorrhet. Quin defectus sitis est signum mortis in calidis morbis, in quibus delirium abest, sed qui cum siccitate, & ariditate linguae conjunguntur, praesertim si sitis, qua prius tenebatur aeger, de repente sine manifesta caussa cesset. Defectus sitis in morbis

acutis, ut in tritaeophia ardente, in qua fervor, & ſiccitas potum requirere videntur, delirium ſignificat. Quod ſi nullo adparente delirii ſigno, & frequentia pulſus decreſcente ſedetur ſitis, argumentum eſt fervorem febris mitigari, & ex ſanguine jam ſoluto ſeroſum liquidum, ex glandulis oris ſalivam ſecerni.

CAPUT XXII.

DE PROGNOSTICIS EX PULSU.

Pulſus quoque ſua habent judicia, & ſignificationes. Et ſane pulſus vehemens, ſeu fortis optimi ſemper eſt ominis, & ſalutem ſpondet aegrotantis, ſi uno eodemque tempore mollis fuerit, & expanſus, modice frequens, nec a retardato alicubi motu ſanguinis per arterias proficiſcatur. Quod ſi eidem alia mala ſigna conjungantur, morbi longitudo praenunciatur. Ex adverſo pulſus debilis funeſti praeſagii eſſe ſolet, dummodo non profluat a nimia ſanguinis copia, vel a nimia pinguedine, vel ab aliis cauſis alibi expoſitis, tunc enim nulla minitatur mala. Debilis erat pulſus homini, cui ſiniſter cordis ventriculus polypo obſtruebatur. Fallax tamen eſſe aliquando poteſt uterque pulſus. Sic in morbis apopleticis pulſus quandoque validus obſervatur, ut & in nonnullis aliis morbis, in quibus patent viae a cerebello ad cor, reliquae autem a cerebro ad

viſce-

viscera obstructae sunt. Quin etiam in aneurisma-te cordis quandoque pulsus validus est, & una plenus, cum scilicet auricula dextra sanguini transituro obsistit, & liberi simul sunt ventriculi, ut *Lancisius*, & *Senacus* observarunt. Pulsus fortis post debilem semper bona portendit, at debilis post fortem semper mala minitatur.

Pulsus magnus, & expansus bona praesagit, cum a nimia sanguinis quantitate proficiscitur. Contra pulsus magnus ex ingenti copia sanguinis in arterioso tubo collecta ob insignes praecordiorum laesiones praesertim in dextris cavitatibus suspectus esse debet, ut *Lancisius* animadvertit; quinimmo quo amplior est pulsus, eo majus adesse discrimen ostendit.

Pulsus parvus nisi pendeat a plethora, quo casu haud mali est ominis, semper censendus est pessimus, praesertim si fuerit simul vacuus. Quin etiam pulsus parvus in morbis, in quibus ob datum alicubi obstaculum expansus esse solet, funesti semper praesagii reputandus; pessimus etiam esse consuevit in febribus malignis, ac praecipue si fuerit simul frequens.

Pulsus modice frequens, expansus & mollis non adeo malus est, si cetera respondeant. Frequentissimus autem, parvus, simulque durus pessimae naturae censendus est, dummodo a morbo aliquo convulsivo non profluat. Pulsus etiam frequens, simulque parvus, & celer pessimus omnium habendus est. Pulsus item frequentissimus, & minimus pessima portendit. Et quidem observante *Sauvagesio* hujusmodi pulsus erat homini, in quo valvulae aortae in substantiam osseam conversae

dimidium orificii claudebant. Contra vero bonae est indolis, & augurii pulsus moderate rarus. Non malus est quoque pulsus rarissimus, qui a morbo convulsivo proficiscitur; vel qui nativus est; Et quidem historiae medicae testantur sanissimam vitam duxisse multos, qui rarissimo pulsu gaudebant. Quod si raritas pulsus ab obstaculo quopiam in praecordiis haerente proficiscatur, malus est.

Celer pulsus non omnino malus censendus est, quippe non aliud enunciat, quam vehementiorem stimulum cordi, & arteriis inlatum, quod in gravioribus animi adfectibus, & in morbis acutis patet. At cum celeritate parvus pulsus saepissime in periculosis febribus observatur, atque adeo nunquam periculo caret in febribus.

Pulsus durus semper est malus, praesertim si fuerit simul parvus, & valde frequens, indicat enim spasmodicam, & convulsivam adfectionem fibrarum machinam cordis, & arteriarum tunicas constituentium, quin & absumtionem humidi, ac proinde aestus, & inflammationes. Et quidem hujusmodi pulsus internarum partium inflammationes, ut pleuritidem comitatur. Si durities cum alia differentia, v. gr. cum languore conjungatur, etiam in hoc casu maxime periculosus est, & syncopen praenunciat.

Pulsus mollis vel fausta, vel pessima portendit, quod quidem ex natura morbi eruendum est. Sane in omni morbo inflammatorio pulsus mollis bona portendit excepta peripneumonia, in qua pulsus mollis malus est, durus e contrario bonus. In inflammationibus, in quibus nec resolutio, nec subpuratio obtineri potest, pulsus mollis lethalis

esse

esse consuevit, cum gangraenam, & sphacelum inflammatae partis minitetur. Mollis item deprehenditur pulsus in leucophlegmatia, & anasarcate, qui tamen morbi vitae discrimen inferunt. Denique pulsus nimium mollis mali potius augurii censendus est, cum observante *Bellinio* extenuationem, laxitatem, & nimiam cedentiam indicet, quae signa sunt exsolutionis virium.

Pulsus aequalis bona portendit, quoties cum aliis optimi pulsus characteribus conjungatur, praesertim vero quoties morbos illos comitatur, quos aliunde novimus in aegri salutem abituros. Item pulsus inaequalis in febribus, morbisque convulsivis nunquam aegrum in vitae discrimen adducit. Siquidem inregularem tantummodo contractionem cordis, & arteriarum enunciat. At vero si cum iis conjungatur symtomatibus, quae aliquam praecordiorum laesionem innuant, lethalis esse consuevit.

Pulsus intermittens terrere solet Medicum, & mali esse ominis. Profecto in pessimis febribus, ut in pestilentialibus, pulsus intermittens periculosus est. Nihil vero mali portendit, si a stomacho mole gravato pendeat, aut nativus sit; nihil quippe frequentius est, quam sic adfecto stomacho pulsum tum inaequalem, tum etiam intermittentem fieri, & diuturnam pulsus intermissionem, sine periculo tamen, in multis quotidie observari, ut testantur historiae medicae. Falsum ergo est quod scripsit *Galenus*, nempe hominem vix superstitem esse posse, si arteria non pulset tempore duarum pulsationum. Quin *Etmullerus* certe hic solidus, & adcuratus, ut advertit *Hof-*

smannus, tres excipit casus, in quibus intermittere solet pulsus minori cum periculo, scilicet in febribus malignis, in pleuritide, & in adfectibus hypocondriacis, & scorbuticis praesertim confirmatis, quibus addi etiam possunt hystericae, aliaeque adfectiones convulsivae, in quibus omnibus licet inaequalitates, & intermissiones pulsuum una cum palpitatione cordis observentur, nihil tamen funesti praesagiunt. Antequam ergo mali aliquid de hoc pulsu pronunciet Medicus, omnia prius expendat oportet, ne in suis prognosticis decipiatur.

Pulsus undosus fausta praenunciat, & in iis observatur, qui aut in lecto sudant, aut si non adsit, certe tamen inminens est sudor.

Pulsus myurus, & dicrotus plerumque sunt mali ominis. *Solanus* tamen longa observationum serie comperiit pulsu dicroto narium haemorrhagiam, inciduo sudorem, intermittenti diarrhoeam praenunciari. *Solani* observationes alii confirmarunt, maxime vero *Nihellius*. & *Senacus*. Quinimmo cum *Bourdeus* omnem operam in iis stabiliendis conlocasset, ulterius progressus est, & peculiarem pulsum detexit, quo hemopthisis, alterum quo haemorrhoides &c. praedici possint. Fatetur tamen magnus *Hallerus* observatam a se fuisse crisim per haemorrhagiam sine pulsu dicroto, ac proinde non multum novis illis pulsibus tribuendum contendit, in quo sane summos alios in arte viros adstipulatores habet.

Pulsus praeternaturalis deficiens, & a morbosa aliqua constitutione pendens, ut a polypo cordis, ab occupato arteriae ostio, aut impedito pul-

mone,

mone, aut ab angustia cordis pessimus est, nec nisi funesta praesagia ex ipso plerumque deduci possunt. Animadvertatur autem plurima in medicis historiis exempla hominum reperiri, in quibus pulsus plane deficiebant, licet integra valetudine fruerentur.

Denique pulsus convulsivus pessimi est praesagii, cum observante *Etmullero* inminentes convulsiones, & epilepsiam cum aliqua contractura praenunciet.

CAPUT XXIII.

DE PROGNOSTICIS EX RESPIRATIONE.

Cum in praxi medica magni referat observare qualis in omni morbo, & praesertim in acutis sit respiratio, cum ex ea non eorum modo instrumentorum, quae ad respirationem ipsam peragendam conspirant, pulmonum scilicet, diaphragmatis, & musculorum tum thoracicorum, tum abdominalium, sed & earum etiam partium, quae cum his conmunicant, cordis vero in primis, quin & sanguinis universi, nerveique fluidi conditio dignoscatur, nonnulla hic de respiratione exposuisse juverit, ex quibus tyrones Medici de statu aegrotantium, deque morborum exitu judicium ferre possint. Monendum autem in ipso limine ducimus solertem, maximeqne cautum in consideratione respirationis esse Medicum oporte-

re.

re, quod illud ipſum adcidat in reſpiratione; quod de pulſibus alibi animadvertimus, ut nempe pro nativa cujuſque hominis conſtitutione, variaque pulmonum, thoracis, diaphragmatis, & imi ventris ſtructura, itemque pro varietate ſexus, aetatis, regionum, anni tempeſtatis, adfectuum animi &c. reſpiratio ipſa inſigniter varietur.

Itaque reſpiratio facilis, & levis, nulloque doloris ſenſu ſtipata bona eſt. Id primus docuit *Hipp.* qui 1. prognoſt. ſcribit *ſpirandi facilitatem ſemper magnam habere ſpem ſalutis in omnibus morbis acutis, qui ſunt cum febre*. Et quidem hujuſmodi reſpiratio rectam organorum omnium eidem inſervientium conſtitutionem, & facilem, conmodumque per ſingula quaeque corporis vaſa, maxime vero per pulmones facile explicabiles transfluxum ſanguinis enunciat.

Reſpiratio magna boni eſt ominis, cum praeter expoſita virium etiam robur ſignificet; quod ſi cum celeritate conjungatur, bonam coctionem, & criſim adfuturam declarat.

Reſpiratio aequabilis fauſta praenunciat, cum ex ea aequalis ſpirituum influxus in nervos, aequalis etiam excurſus per nervos ipſos, ut & aequalis impulſus, & motus ſanguinis arguatur.

Reſpiratio lenta, dummodo omnis abſit moleſtia, & deſipientia haud mali eſt augurii. Aereorum nempe canalium libertatem, aequabilem ſanguinis diſtributionem, ejuſque fluxilitatem oſtendit. At in febribus ardentibus reſpiratio lenta, & in qua magnum intercedat intervallum inter exſpirationem, & inſpirationem ſine criſi, aut bonis ſignis orta ſuſpecta eſſe debet; vel enim poſte-

postera die desipiunt aegri, vel convelluntur, & cito moriuntur.

Denique ea in primis censetur optima respiratio, quae facilis est, aequalis, magna, lenta, lenis, & reficiens, & inter signa maxime salubria recensetur.

At vero respiratio contrarias his referens notas mali semper ominis reputanda; quare mala est respiratio, quae difficilis est; pulmones enim obstructos enunciat, & difficilem per pulmones ipsos excursum sanguinis declarat, nisi difficultas illa ex convulsione proficiscatur, quemadmodum in hystericis. & hypocondriacis contingit, aut in consuetudinem abierit, ut in asthmaticis. Pessima est respiratio, & instare jam mortem enunciat, si claviculis elevatis, sterni agitatione magna, & narium diductione perficiatur. Lethalis etiam est respiratio in febre ardenti, si cum delirio conjungatur teste *Hipp.*

Respiratio parva mali est augurii; vitium enim inde arguitur organorum respirationi ipsi famulantium, ut scilicet eadem pro eo ac opus esset, explicari non possint; portendit autem ut plurimum pulmonem concretione sanguinis, vel alterius materiae praepediri, vel pulmonalem fistulam tumore, aut aliqua materia infarciri. Quod si hujusmodi respirationi stertor, & sybilus conjungatur, instantis mortis indicium est.

Non boni item est ominis respiratio inaequalis; demostrat enim inritationem aliquam, vel impedimentum, vel aliud simile organorum vitium adjungi.

Respiratio frequens terrere solet Medicum;

Aereo-

Aereorum enim organorum laesionem, pulmonum obstructionem, & rigiditatem, & difficilem sanguinis excursum significat.

Respiratio cum dolore conjuncta mala est; Ut plurimum enim interiorem quampiam inflammationem enunciat.

Pessima, & lethalis est respiratio foetida, & frigida; quippe quae viscerum gangraenam plerumque demonstrat.

Respiratio frequens, & parva, nisi a dolore parvitas proficiscatur, mala est, & malum morbi exitum praenunciat; frequens quippe respiratio magnas ad respirandum vires impendi, parva vero facultatis robur simul inminutum significat. Cum itaque facultatis robore inminuto, & magna interim impensa virium perdurante tandem totalis exhaustio consequatur, hinc est, ut de malo exitu morbi metuendum sit.

Respiratio frequens, & magna in febribus acutis boni est ominis; Enimvero frequentia respirationis ostendit quidem magnas ad respirandum vires impendi, sed ejusdem magnitudo simul significat robustam adhuc esse facultatem, & materiae morbificae viribus validiorem, atque adeo bene sperandum esse.

In morbis acutis respiratio rarior, & major solito inminens delirium, aut soporosos adfectus portendit. Et sane qui delirio, aut sopore tenentur, minus percipiunt statum sui corporis, ex. gr. minus sentiunt respirandi necessitatem, adeoque circa hujusmodi necessitatem negligentiores sunt, atque eam minime explent, nisi forte sit urgentior, scilicet nisi respirandi necessitas ipsos ad respira-

tio-

tionem instaurandam cogat, quae quidem tanto major sit oportet, quo magis retardata fuit. Nil ergo mirum, si dum respiratio rarior est, & solito major, delirium, vel sopor aut jam adsit, aut immineat.

Respiratio, quae difficilis est, parva, rara, inaequalis &c. pessima est omnium, & procul dubio lethalis. Quod si aliquot tantum ex pravis hisce adfectionibus habeat, quo plures eae fuerint, eo pejor censenda erit.

Denique respiratio obscura, sive inconspicua mala est ex *Hipp.* in coac. Mala item revocata duplex, sive singultuosa. De hac sic loquitur divus Senex aph. 54. sect. 6. *In neutris adfectionibus quae cum febre fiunt, luctuosae respirationes, malum.*

CAPUT XXIV

DE PROGNOSTICIS EX ALVI DEJECTIONIBUS

Cum natura morbi ex alvi dejectionibus sæpius innotescat, adeoque prognosis de eventu ipsius morbi istitui possit, nonnulla ex *Hipp.* referemus ad rem præsentem, scilicet ad alvi dejectiones pertinentia. *Hipp.* ergo 2. prognosticorum hæc habet. *Alvi excrementa bonis indiciis adnumerantur, si mollia, si figurata, si eodem fere tempore, quo in secunda valetudine dejici solebant, excernantur, & sint pro ratione ciborum ingestorum, hæc enim om-*

nia

nia inferiorem ventrem recte valere declarant. Et ibidem ſubjungit; *Corpulenta reddatur dejectio morbo eunte in judicationem oportet*. Item *ſubrufa vero, nec admodum gravœlens eſto*; & id genus alia ibidem notat *Hipp.* de laudabilibus alvi excrementis, non quidem de iis, quæ ad inteſtina aliunde confluunt, ſed quæ ex adſumto cibo, potuque procedunt. Quæ vero excrementa ex vaſis defluunt in ventrem, ſi critice excernantur, nempe in ſtatu morbi cum ſignis coctionis, & die decretorio, bona ſunt, & ægrum a morbo liberant. Hinc *Hipp.* aph. 2. Sect. 1. *In perturbationibus alvi, & vomitionibus, quæ ſponte naturæ obveniunt, ſi talia purgentur, qualia oportet, confert, & leviter ferunt*. Et aph. 28. Sect. 4. *Quibus dejectiones ſunt bilioſæ ſuperveniente ſurditate ceſſant, & contra quibus ſurditas adeſt, bilioſa dejectione finitur*. Alia hujus generis legere eſt in ejuſdem operibus.

Sed non deſunt ipſius *Hipp.* teſtimonia, quibus contrarium ex fœcum notis prædicitur. In prorrhet. *Si intercepta*, ait, *alvus, parva, nigra, & in ſpiras circumducta ad neceſſitatem demiſerit, & per nares eruptio fiat, malum*. Atque hæc ad ſubſtantiam fœcum referuntur. De illarum liquiditate adſerit hæc 2. prognoſt., *Dejectio madens ex uſu eſt, ſi nec ſtridet, nec crebro, aut paulatim excernitur; frequens enim deſidendi labor inſomnem facit. At ſi univerſim, & ſæpe dejiciat, periculum defectionis animæ indicat*. Ubi patet, quod liquiditas niſi cum aliis pravis ſignis copuletur, mala non ſit. Aquoſa vero dejectio prava eſt; mala etiam cenſetur candida admodum, aut admodum crocea, aut ſpumens dejectio; item damnatur

exi-

exigua, glutinosa, candida & levis, ut & quæ nigra est, pinguis, livida, aut quæ pejoris est odoris, quam pro consuetudine. Idem *Hipp.* 2. prorrhet. ait, *Dejectiones in spumosas, sincerasque desinentes exacerbant*. Ibidem 1. *In phreneticis alba dejectio, malum*. Et aph. 47. Sect. 4. *Excretiones*, inquit, *in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ omnes malæ*. In coac. vero. *Quibus procedente egestione alvi biliosa ad pectus morsus, & amaritudo sentitur, malum*. Ut autem præsagiturus Medicus rubenti fœcum colore minime decipiatur, sedulo animadvertat oportet hujusmodi colorem plures ob caussas dejectionibus adcedere posse, nempe quando sanguis sola quantitate peccans repente aperto vasis osculo effunditur, ut contingit in inmodica sanguinis congestione, aut quando exulcerata sunt intestina, ut in dysenteria, aut cum hæmorrhoidales venæ aperiuntur, quibus addunt conmuniter adfectionem hepatis, qua fluxus humoris inferatur sanguinei laticis naturam, & indolem referentis; forsan tunc separantur in glandulis intestinorum humores aliquo rubore saturati. Quare ne incautus præsagiat Medicus, hæc singula rimetur oportet, quoties fœces rubrum colorem referunt. Nec minus sollicitum se præstet, quoties nigræ dejectinnes adparent. Nam aliquando sanguis ipse aliqua de caussa effusus in intestinorum anfractibus detinetur, nigrescit proinde, nigerque tandem dejicitur, aliquando vero excernitur bilis atra, de qua *Hipp.* sic ait, *Dysenteriam ab atra bile incipere, lethale*. Cum ergo variæ pro varietate prædictarum rerum prognoses institui debeant

beant, animadvertendum eſt, quod quando nigredo profluit a ſanguine, hoc ingrumos conlectus deficitur, propterea lintæ rubro colore inficit, & ſi niger adpareat. Quando vero ab atra bile profluit nigredo, hiſce ſignis deprehenditur. Dejectio ſplendet, acidumque fœtet, terram fermentat, nec a muſcis guſtatur, eſtque ſubſtantia acris, mordax, & erodens. Tandem *Hipp.* 2. prognoſt. habet, *ſi verſicolor eſt dejectio, diuturnior quidem eſt, ſed nihilominus exitialis*, & aph. 21. Sect. 4. *Quo colores ipſarum pejores plures fuerint, eo ſunt deteriores*.

CAPUT XXV

DE PROGNOSTICIS EX VOMITU.

DE iis, quæ per vomitum excernuntur, eadem fere eſt ratio, ac de alvi dejectionibus, ut nimirum boni cenſeantur vomitus, qui diebus criticis, & coctione peracta contingunt, quique morborum cauſſas aut maxima ex parte minuunt, aut omnino tollunt, quo reſpicit aph. 2. Sect. 1. Contra vero qui morbos non minuunt, quique ſinceri ſunt, & implacidi, ut habetur ex 2. prorrher. & 2. prognoſt. In vomitu critico pulſus eſt omnium maxime contractus, & minus inæqualis, arteria ſub digito rigeſcit, & fremere videtur. Si vomitus fuerit porraceus, aut niger, cenſendus eſt pravus, exitiale vero admodum eſt, ſi

quis

quis colores omnes evomuerit, & ad ultima ventum esse testatur lividus vomitus, maxime vero, si male oleat; siquidem fœtores mali sunt in quolibet vomitu. Docet hæc *Hipp.* qui præterea aph. 22. Sect. 4. ait. *Morbis quibusvis incipientibus si atra bilis sursum, aut deorsum exierit, lethale*. Pessimus quoque est vomitus ab ileo, ut docet aph. 10. Sect. 7. nullumque servatum vidit *Galenus* ex iis, qui fœculentum vomitum passi sunt. Denique ex 2. prorrhet. habetur, quod pravus sit vomitus exiguus, & biliosus, præcipue si ægri supervigilaverint, & exstillaverint nares; hæc enim fieri necesse est non propter crisim; in crisi namque nihil exiguum. De vomitu sanguineo hæc habet idem *Hipp.* aph. 25. Sect. 4. *Sanguis ex supernis partibus exiens, undecumque exierit malus est*. Fatetur tamen aph. 37. Sect. 7. sanguinem vomitu ejectum cum febre malum esse, sine febre non malum. Et quidem plura sunt exempla tum fœminarum, tum virorum, qui cum crebro vomitu sanguinis vitam ad plurimos annos produxerunt, ut de Maligno Fisco, & Volusio Saturnino testatur *Plinius*.

CAPUT XXVI.

DE PROGNOSTICIS EX SUDORIBUS

SÆpe ex corporibus ægrorum sudores fluunt; ex quibus signa futuri eventus prænunciantur.

Optimus, ait *Hipp.* 1. prognoſt. ſudor eſt per omnes acutos morbos, ſi per decretorium diem eveniat, & febrim omnino tollat; bonus, ſi prodeat ex toto corpore, efficiatque, ut æger facilius ferat morbum. Et aph. 36. ſect. 4. inquit. Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. & 34. ii enim ſudores morbos judicant. Sudores pravi ſunt, ſi fluant cruda adhuc exiſtente materia, nec ullo coctionis ſigno adparente, ſi nimia peccent quantitate, aut pauca, ſi fuerint frigidi, ſi non ex toto corpore erumpant, ſi cum ægri conferentia, & tolerantia non fiant. Paſſim apud *Hipp.* extant de iis teſtimonia; inter alia aph. 42. ſect. 4, qui hæc habet; *ſudor multus frigidus calidusque ſemper fluens; frigidus graviorem, calidus leviorem morbum ſignificat*. Et 2. prorrhet. *Sudor multus ſi cum febribus acutis fiat, inutilis*. Et in coac. *Qui in febre non intermittente tenuiter, & crebro ſudant cum hypocondrii tenſione, ii ut plurimum maligno morbo laborant;* Periculoſi quoque ſunt ex *Hipp.* aph. 37. ſect. 4. frigidi ſudores, qui cum febre acuta mortem, cum mitiore vero morbi longitudinem ſignificant. Cumque ſudores perpetuo morbi præſentiam indicent, ita ut ubi ſudor, ibi ſit morbus, hinc eſt, quod erumpentibus ex ſolo capite ſudoribus gravis morbus imminet ratione nobiliſſimæ partis adfectæ. Qui ſudor ægrum a morbo vindicare conſuevit, tenuis eſſe ſolet, ſed cum aliqua viſciditate conjunctus, quo forſan reſpicit dictum *Hipp.* in coac. ubi narrat ſudorem, qui in febre continua crebro, & tenuiter adcidit. Sed de ſudore vide *Hipp.* ipſum pluribus in locis.

CAPUT XXVII.

DE PROGNOSTICIS EX HÆMORRHAGIA

PLurima desumuntur futuri eventus indicia ex fluente in morbis sanguine e naribus, per uterum, & hæmorrhoides. Excretio autem sanguinis ut bona sit, postulat 1. tempus, ut nempe excernatur coctione jam facta testantibus *Hipp.* & *Gal.* 2. sufficientem quantitatem; unde *Hipp.* 4. de rat. vict. in acut. ait. *Si e naribus fluxerit sanguis solvitur morbus*. Et in coac. *Sanguinis fluxus, qui* 7. 9. 14. *die adcidit, utplurimum febres solvit*. 3. diem criticum; excretiones enim, quæ tunc temporis contingunt, vel bonæ sint, vel malæ, multum adjuvant ad salutem, vel mortem ægri præsagiendam. Recte igitur observat *Hipp.* morbos acutos per sanguinem e naribus, & copiosum sudorem diebus crisium judicari. 4. anticipatam in die aliquo indice prognosim; Natura enim altero ex his diebus excretionem moderatæ sanguinis quantitatis procurare solet tanquam indicationem illius, quæ die critico uberius continget. 5. proportionem cum natura, & qualitate morbi, nec non temperamento ægri, ratione vitæ, temperie aeris, & anni temporibus. 6. relationem cum locis adfectis ita, ut ab ipsis copiosa fiat evacuatio, vel ex parte illis opposita, ut revulsio hoc modo fiat; Unde *Hipp.* aph. 21. sect. 6. ait. *Maniacos, quibus superveniunt hæmorrhoides, vel varices sanari* unde

invaluit usus mittendi sanguinem in mania per venas hæmorrhoidales: & aph. 25. Sect. 4. *evacuationem sanguinis per alvum bonam esse, & ipsis salutarem*; item aph. 32. Sect. 5. *mulieres per eruptionem menstruorum a vomitu sanguinis curari*: 7. imminutionem, vel integram morbi extinctionem, levamen ægri, & cessationem symtomatum, aut eorum mitigationem, ut docet *Hipp.* 3. epidem. Idem aph. 60. Sect. 4. inquit *sanguinem per nares salutarem esse, si surditatem tollat, & alio loco adfectos dolore capitis, vel colli a debilitate, & tremore totius corporis sanari per hæmorrhagiam*. Tandem meliores hæmorrhagiæ sunt quæ vires ægrotantis instaurant, ejusque pulsum magis regularem efficiunt.

Excretiones sanguinis malæ, & funestum morbi exitum prænunciantes habent signa contraria, nempe non sunt cum signis coctionis, cum aliis malis signis copulantur, nempe delirio, sopore, spasmodicis motibus, pulsu molli, parvo, inæquali &c. vel hæc illas subsequuntur. De his signis *Hipp.* 1. prorrhet. ait; *ubi sanguis e naribus effluit cum tenuibus sudoribus, & totius corporis perfrigeratione morbi malignitas, & pernicies indicatur*; & inferius; *post sanguinis eruptiones dejectiones nigræ malæ, pravæ autem & intensæ rubræ, præsertim si hæmorrhagia die quarto superveniat*, ut confirmat *Galen.* Idem *Hipp.* aph. 9. sect. 7. ait. *A profluvio sanguinis convulsio, & desipientia, malum*. Ab eodem damnatur vomitus sanguinis in febribus, ut pessimus, de quo alibi, presertim cum sanguis niger est, & febrientes maxime debilitat. De his hæc profert aph. 23. sect. 4. *Omnis excretio bilis*

nigræ, vel alterius substantiæ nigro sanguini persimilis prænunciat mortem die sequenti adfuturam in iis, qui morbo acuto, vel chronico, vel ulceribus debilitati sunt. Alibi autem inquit, *sanguinem ex naribus malum esse prognosticum in iis casibus, in quibus venter ita constipatus est, ut pauca excrementa reddat similia stercui caprino*, & alio loco *hæmorrhagiam per nares cum sudoribus frigidis, & refrigeratione totius corporis malum esse signum, & refrigerationem extraordinariam diebus criticis supervenientem post aliquam hæmorrhagiam esse perniciosissimam*, quod testatur etiam *Duretus*. Quæ sanguinis excretio mutationem non infert in statum ægri mala censetur præcipue si morbus in pejus ruat. Item effusio modica sanguinis nunquam bona est, sed plerumque mala, exsolvit enim vires, unde pulsus parvus, inæqualis, mentis terror, & spasmus subsequitur, præterea multum detrahit de calore vitali, quo efficitur, ut natura sub vehementia morbi tandem succumbat. Hinc ait *Hipp. ventrem pati ex nimia duratione hæmorrhagiarum*; cum partem nimium refrigerent, & hæmorrhagias violentas, quas perfrigeratio subsequitur, generatim esse perniciosissimas. Cum corpus ob excedentem sanguinis effusionem exhaustum est, æger quandoque mortali delirio corripitur, & quandoque etiam terribilibus convulsionibus, ut idem docet aph. 9. sect. 7. Sanguinis fluxus per nares, aut quamlibet aliam corporis partem, si exigua copia fiat, interdum bona præsagit, quod principium criseos indicet, ut advertit *Hipp.* Plerumque tamen mala prænunciat, quoties scilicet morbus est in statu perfectæ cruditatis, multoque magis, si

excretio cum pernicioso aliquo signo conjungatur. Stillicidium sanguinis e naribus maxime damnatur, præsertim in febribus ardentibus, ut monet *Hipp.* 1. epidem. nisi stillicidium illud inminentem crisim enunciet, quod ex aliis signis deprehenditur. Quin etiam hujusmodi stillicidium funestissimum est, si illud alia mala signa subsequantur, nempe surditas, coma, vigiliæ, deliria, sudor frigidus, & extremitatum perfrigeratio, ut testatur *Galenus*. Denique hæmaturia in variolis certissimum est mortis præsagium. Unus tantum æger servatus memoratur in transactionibus philosoph. Idem dicas de mictu cruento in petechiis, miliari, purpura, &c.

CAPUT XXVIII

DE PROGNOSTICIS EX SPUTO, ET SCREATIONE

IN morbis thoracis signa ex sputo, & screatione præsertim adtenduntur. *Hipp.* 2. prognost. ait. *In pulmonibus costarumque doloribus oportet ut sputum celerrime moveatur; si enim multo post ab initio doloris screetur bilis flava, aut rufa, aut multum inferens tussim, aut non admodum permista deterior est*. Et in coac. *Omnino autem pravum flavum, si sincerum est, & glutinosum, & candidum, & rotundum, itemque vehementer ex virore pallescens, quod quoque spumosum est, & lividum, & æ-rugi-*

ruginosum, *aliquanto vero deterius*, *quod sic est sincerum*, *ut nigrum quoque videatur*. *At flavum*, *cui paulum sauguinis permistum est*, *initio quidem salutem pollicetur*, *quod vero septimo die*, *ant longiori spatio tale adparet*, *non adeo tutum*. *Admodum autem sanguinolentum*, *aut quod statim initio lutescit perniciem præsefert*. Sputo obiter adnectamus lentorem illum, & viscidam materiam, de qua loquitur *Hipp.* aph. 53. sect. 4. *Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntnr*, *his fortes fiunt febres*.

CAPUT XXIX.

DE PROGNOSTICIS EX ABSCESSIBUS.

ABscessus, qui in cute erumpunt, boni sunt; si diebus decretoriis fiant; fiunt autem in partibus corporis, quae longo intervallo a nobilioribus sejunguntur, qui preseverant, suppurantur, aegrisque conferunt. Eos descibit *Hipp.* 6. epidem. *Tubercula*, inquit, *foras extumescentia*, *& acuminata in turbinem qua gracilescentia non circum dura aequaliter maturescentia declivia*, *& non bifida meliora*. *Contraria vero mala*, *& si quamplurimum contraria pessima*. Pertimescendi quoque sunt abscessus, qui sine praecedente aliqua evacuatione retrocedunt, & evanescunt. Unde *Hipp.* 2. prognost. *Si abscessus*, ait, *evanescit*, *& retrocedit nequaquam egrediente screatione*, *aç febre perseve-*

rante, *difficilis morbus est*; periculum enim delirii, mortisque iminent.

CAPUT XXX.

DE PROGNOSTICIS EX URINIS, ET I. DE EARUM NATURA.

Quid sit urina, & quae ipsius componentia in physiologia declaravimus. Nunc vero de prognosticis, quae ab eadem erui possunt, nobis est differendum. Sed ne ipsimet urinae tanquam signo ultra, quam par est, tribuatur, animadvertendum est maximam urinae varietatem non modo in aegrotantibus ob innumeras fere caussas deprehendi, sed in hominibus etiam bene valentibus, & quidem ratione aetatis, temperamenti, sexus, tempestatum anni, verum non naturalium &c. Item aliam esse urinam ab adsumto cibo, & potu, aliam ab elaborato, confectoque chylo, aliam ab ipsomet chylo in sanguinem conmutato, ut proinde alia sit urina potus, alia chyli, alia sanguinis. Haec autem omnia diligenter adnotanda sunt, ut Medicus ex ipsis aliquod non fallax judicium ferre possit; praesertim vero habenda ratio urinae sanguinis in corpore bene valente, quae citrini, seu subflavi coloris est, pellucida, mediocris quantitatis, & consistentiae, aequalis specificae densitatis, odoris non valde gravis, saporis subsalsi, quaeque proinde naturalis, & omnium

nium optima censenda est, & ad quam veluti ad normam reliquae omnes referantur. Optima est urina, inquit *Aristoteles*, cum ex omni latere mediocritatem servat, & sanorum urinae simillima est quod itidem docet *Galenus*. Si igitur urina ab hac mediocritate recedat, recessum sane aliquem ab optima, & naturali constitutione enunciet necesse est. Recedere autem ab hujusmodi constitutione potest vel copia, vel consistentia, vel colore, vel odore, vel contentis. Et quod primum urinae copia, vel aucta est, vel inminuta, vel omnis aliquando deficit urina. II. haec vel tenuis est, & fluida, ut aqua, vel crassa, & oleoginosa. Tenuis rursus vel pellucida est, & aquosa, vel colorata, & turbida; haec autem vel constanter turbida perseverat, vel aliquanto post a mictu clarescit, vel clara primum redditur, postea vero turbatur. III. Varii sunt coloris gradus in urina; ea siquidem colores omnes praeseferre potest, qui medii sunt inter album, & nigrum. Quae in albedinem vergit urina vel christallina est, vel aquea, vel lactea. Ad has autem revocari possunt urinae glaucae, cinericiae, viridescentes, & plumbeae, quae quidem urinae eorum corporum nominibus appellantur, quorum aemulantur colores. Urinam albam sequitur pallida, vel spicea, & si eidem plus adcedat tincturae sit subrufa, deinde rufa, vel aurea, quod auri colorem referat. Post hanc venit subflava, mox flava, vel crocea, quam subsequitur rubra, ad eamque revocari potest flammea, rosea, vinea, purpurea, ferruginea, nigricans, & tandem nigra. IV. Urina vel nullum habet odorem, & tunc dicitur

citur inodora, vel gravi urinoſo odore, & praeternaturali imbuitur variis nominibus diſtinguendo. V. Tandem urina quoad contenta variae eſt indolis. Contenta vero vel per liquorem univerſum diffuſa ſunt, vel alicubi collecta. Si eadem ad fundum ſubſidant, hypoſthaſim, vel ſedimentum conſtituunt, ſi medio in loco conligantur, ſuſpenſum, vel eneorema, nubeculam demum, ſi in ſuperiori liquoris parte conſiſtant. Variae etiam indolis eſt urina prout contenta ipſa, & praeſertim ſedimentum deficiunt, vel magna, aut parva eſt ipſius ſedimenti copia, vel inficitur colore vario, vel arenoſum eſt, vel farinoſum, vel membranaceum, vel ſquammoſum, vel denique foliaceum. Haec autem contenta vocantur naturalia, praeternaturalia ſunt arenae, calculi, bilis, ſanguis, mucus, pus, carunculae, pili, grumi, aliaque his ſimilia, quae ſaepe in urinis obſervantur. Denique urinae in coctas, & crudas generatim diſtinguuntur. Cocta dicitur urina, quae parum in qualitatibus ſuis a naturali recedit, cruda quae plurimum.

Obſervandum hic eſt plures ex recenſitis urinarum ſpeciebus conjungi ſimul poſſe. Sic dari poteſt urina, quae tenuis ſit, inodora, pellucida, & ſine contentis, ut ſaepiſſime deprehenditur.

His conſtitutis explicandae nobis ſunt cauſſae illae, quibus urinae a naturali conſtitutione recedunt. Atque ut ab urina quoad copiam morboſa exordium ſumamus, ex pluribus cauſſis proficiſci poteſt aucta urinae copia. Et I. quidem a nimio potu aquae praeſertim mineralis, ut & a balneis ejuſdem naturae; ſiquidem adtractionis

ope,

ope; quae balneum inter, & corpus intercedit, balnei fluidum per inhalantes, seu absorbentes cutis poros vasa corporis pervadit, & in sanguineos canales inlapsum molem auget serosi vehiculi sanguinis, ex quo per emulgentes arterias ad renes adfluente, & majore seri copia diluto uberius urina secernatur necesse est. II. Ab inminutis ceteris omnibus secretionibus, & praesertim ab inminuta insensili perspiratione; unde *Hipp.* aph. 83. sect. 4. *Mictio noctu multa fiens modicam alvi egestionem significat.* III. A superfluitate, & fusione humorum, quorum excretio critico modo perficitur, quod plurimis exemplis ab *Hipp.* ipso desumtis confirmatur. IV. Ab excedente laxitate renalium tubulorum, & glandularum, quo casu aliquantulum turbida redditur urina. V. Ex velociori facto motu serosi liquidi alicubi stagnantis. VI. Ex lentiori haematosi, atque adeo inminuta perspiratione, ut patet ex insultibns hystericis, & hypocondriacis, in quibus lente ut plurimum procedit haematosis. VII. Demum ex solutione lentoris, qui vigente inflammatorio aliquo morbo in fluidis humani corporis observatur. Contra vero caussae morbosam urinam quoad copiam inminutam efficientes sunt potus penuria, humorum tenacitas, qua fiat, ut urinae materia ab illorum massa aegre secedat serosi liquidi absumtio per febrilem calorem, aliarumque excretionum augmentum. Caussae demum urinae subpressionem inferentes sunt inflammatio renum, eorundem calculi, exterior compressio, praesertim a plethora, qua sanguinei canales distenduntur, & laterales urgentur, fibrarum renalium spasmus, convulsio,

passio

passio hysterica, hypocondriaca, dolor vehemens ventris, lumborum, intestinorum, coxae, uteri, menstruatio, vermes, grumi sanguinis, pituita, mucus, pus renes infarcientes, eorum paralysis, evacuationes aliae defectum urinae subplentes, uretaerum etiam inflammatio, calculi, grumi sanguinis, pituita, pus, clausura inferioris ureterum orificii, inflammatio itidem, grumi sanguinis, mucus, pus, lapis vesicae, ejusdem paralysis, ectopia, exocyste, spasmus sphincteris ipsius vesicae, intestinum rectum inflammatione, calculo, flatibus, scybalis, abscessu, haemorrhoidibus turgens, hydrops, & procidentia uteri, ejusque distentio a tumoribus, menstrua in vagina retenta, tumor perinaei, calculus urethrae impactus, mucus eandem infarciens, sanguinis grumi vermes urethram ipsam opplentes, pus eam obstruens, ejusdem inflammatio, intumescentia textus spongiosi ipsius urethrae, ejusque varices, cicatrices, ulcera, callus, fungus, contractio, schirrodaea glandularum lacunalium, Covvperianarum, Litrianae prostatae tumor, callus, ulcus, urethrae ruptura in scrotum hians, retractio penis intra corpus, urethrae ipsius clausura, & similia alia, quae omnia certissimis gravissimorum Medicorum observationibus confirmantur.

Urinarum crassities repetenda est vel a minori aquei humoris copia relate ad alias materias solidas, quas in urina latere alibi demonstravimus, vel ab aucta earundem materiarum quantitate eadem manente copia aquei vehiculi, vel ab aliis extraneis substantiis minime fluidis urinae admistis; tenuitas contra ab iis omnibus caussis

peu-

pendere poteſt, ex quibus eandem quoad aqueum fluidum fieri uberiorem oſtendimus, praeſertim vero ab aquei ipſius fluidi redundantia, ſed minori ſimul facta ceterorum urinae componentium quantitate proficiſcitur. Patet autem, quod ſi ex copioſiori aqueo vehiculo tenuis fuerit urina, eadem tunc excernetur pellucida; quod pariter continget, ſi materiae componentes ita per ejus volumen diſperſae fuerint, ut inde uniformis ſpecifica denſitas habeatur, licet ceteroquin materiae ipſae ſat magna copia in urina contineantur. Contra haec excernetur turbida, ſi ſpecifica denſitas fuerit inaequalis ex doctrinis ſummi *Nevvtoni*. Hoc autem tunc evenit, cum humores integram coctionem, & adtenuationem nondum ſubierunt.

Urinarum colorem ab oleoſis, & ſalinis ſubſtantiis, quae in illis continentur, repetendum eſſe alibi innuimus. Et ſane eo coloratiores excernuntur urinae, quo major in illis adeſt copia eorundem componentium. Unde patet urinarum albedinem pendere vel ab exigua earundem materiarum quantitate, vel ab aliis corporibus, quibus materia praeſertim oleoſa prohibetur, quominus regelari poſſit, & adtenuari, ut in lenta haematoſi contingit, flammeum vero illius colorem ab intenſiori haematoſi proficiſci, ab haematoſi nempe, in qua ob nimiam acidae materiae extractionem pars oleoſa plurimum adtenuatur, & cum aquea, ac terreſtri parte arctius conjungitur. Urinam rubram non cruentam ſaepius obſervari in ſcorbuticis, qui ex quartana convaleſcunt, docet *Sennertus*.

Obſervandum eſt autem croceum urinae colorem

lorem ab extraneis corporibus urinae admistis proficisci aliquando posse, ut evenit in ictero, colorem rubrum a sanguine in urinis latente, nigrum denique vel a melasictero, & gangraena alicujus partis, praesertim vero renum, & vesicae. Distinguitur autem sanguis in urina, si linteum album eidem immergatur; rubedine scilicet sanguinea tinctum adparebit, quod non contingit, si rubedo urinae fiat a caussis supra memoratis. Praeterea ab admisto sanguine urina opacitatem ostendit cum sedimento grumoso nigro; si vero rubedo aliter fiat, ea est cum pelluciditate, & sedimento pauco, eoque cinnabarino. Ceterum cum sanguis in urinis adparens non modo ex vasis renum & ureterum sed & colli vesicae, aut urethrae effluere possit, hinc consequitur non semper cum veritate consentire aph. 78. sect. 4., quo statuitur, quod qui sua sponte sanguinem mingunt; his venae ruptio in renibus significatur.

Urina oleosa duplicis est speciei; vel enim omnino simillima est oleo tum quoad colorem, tum quoad consistentiam; vel ejus substantia est vere oleosa, & plurimum adipem continet ex *Hipp.* Utraque vero profluit a conliquatione adipis totius corporis, vel renum dumtaxat. De his idem *Hipp.* aph. 35. sect. 7. sic loquitur. *Quibus pingue est id, quod superstat, & acervatum, his renum adfectiones, easque acutas significat.* A conliquatione pariter oriuntur sedimenta farinosa, membranacea, squammosa, foliacea, quae in urinis interdum conspiciuntur. Humores enim acres, salini postquam adipem fuderunt, vasa partium solidarum adrodunt modo magis, modo minus,

pro

proque varia erosione varia illa sedimenta constituunt. Has autem urinarum species ab igneo calore sanguinem adurente, & carnes extraordinario quodam modo absumente proficisci docet *Galenus*. Denique urina arenosa, vel sedimentum arenosum pendet ab arenosa materia in renibus haerente, quidquid in contrarium doceat *Hipp.* qui aph. 79. sect. 4. sedimentum arenosum a vesicae calculo suboriri contendit. Enim vero saepe contingit, ut impacto renibus, aut vesicae calculo nunquam excernantur arenulae, & saepe etiam prodeuntibus arenulis nec vesica, nec renes calculo adficiantur.

Urina omnis expers odoris pendet a defectu salinae, & oleosae praesertim materiae, vel ab alterius substantiae quantitate, qua fiat, ut salinae illae, & oleosae materiae evolvi non possint, ac regelascere. At vero urinae odor, & quidem solito gravior profluit ab evolutione, & quasi putrescentia earundem materiarum a magno corporis motu, ab aucto humorum circuitu, & majore gradu caloris humani corporis profecta, vel ab extraneis corporibus urinae admistis, ut pure, sanguine &c.

Denique defectus separationum in urinis repetendus est ab exigua oleosae, salinae, & terrestris materiae copia ingenti aquae quantitati admista, vel ab arctiori earundem materiarum adhaesione tum inter se, tum etiam cum ipsamet aqua, vel ab aliquo secernentium organorum vitio, quo fiat, ut salinae, ac terrestres particulae a reliquis humoribus non secernantur.

Nunc vero ad praesagia progrediamur, quae

ex

ex urinis desumuntur. Itaque si tenuis urinae quantitatis solito major ab uberiori aquei potus adsumta copia, a balneis, aliisque similibus proficiscatur, nihil mali praenunciat. Boni autem ominis sunt urinae tenues, & colore naturales, licet ratione tenuitatis suae insigne tempus requirant ad coctionem subeundam, & ad salutem aegri praesagiendam, ut in casu Cleonastidis, Clazomerii, & Gherionis patet. Urina tenuis, & pallida, ubi signa sanitatis occurrant, abscessum praenunciat infra septum transversum, ut Pitioni contigit. At si nullum salutare signum occurrat, hujusmodi urinae fluxus haud boni est ominis; & *Hipp.* in prognost. ait urinam aqueam esse omnium pessimam; praesertim in pueris. *Galenus* autem testatur in morbis mali moris, ut & in febribus acutis certam mortem aegro impendere, si urina tenuis, & copiosa sine colore diu excernatur. Et quidem fieri non potest, quin fluidorum crassiores partes, & phlogisticus lentor inde augeantur, repletionesque, & gravitates, & torpores, & deliria, & convulsiones, & acrimonia residuae humorum massae, & tabes etiam procreentur, hinc mors. Haec urinae species perniciosior est, si diu perseveret, & aliquot post diebus ab invasione morbi incipiat excerni, ut patet in casu Tasi 3. epidem. sect. 3. aegr. 2. qui undecimo die urinam tenuem & aquosam emisit, cujus excretio ad quadragesimum usque diem perduravit. At parcior urinae tenuis excretio in febribus ardentibus, & inflammationibus acutis perniciosissima est quandoquidem serosi liquidi absumtionem enunciat, praesertim vero si cum uri-

nae

nae parcitate pravae aliae qualitates conjungantur, ut patet in casu filiae Eurinatis, uxoris Dromeadis, & juvenis Meliboei. Funesta etiam ominatur in febribus urinae subpressio ex absumtione seri profecta, ut de Sileno, & uxore Ciziaci refert *Hipp.*

Urina copiosa, & crassa si ex solutione phlogistici lentoris oriatur, bona existimanda est in morbis acutis, & in febribus inflammatoriis, cum post signa coctionis adparet; admistam enim cum habeat materiam, quae morbum inferebat, quaeque per canales urinarios secerni jam cœpit, morbi solutionem pollicetur, & abscessus avertit ex *Hipp.* Contra mala est, si excernatur sub initium morbi, quandoquidem tunc temporis plerumque tenuis esse solet, ut adfirmat *Galenus*. Mala etiam reputatur, si a praeternaturali fusione, & solutione materiae oleosae, aut lymphaticae sanguinis aliisque similibus caussis proficiscatur. Urina vero parca, & simul crassa ob aliquam auctam evacuationem non mala censenda est; at pessima existimanda est, si urina deficiente partes oedemate conripiantur.

Urinae, quae sub initium morbi albae, lacteae aut glaucae excernuntur, haud boni sunt ominis; siquidem in morbis acutis morbosae materiae copiam indigitant, in chronicis vero infirmitatem haematoseos, nisi forte lacteus color originem suam referat mucosae substantiae, quae in urinis soluta fuerit, dum per renes, aut ureteres, aut vesicam fluebant. Interdum tamen uber fluxus urinae albae, & simul crassae articulorum abscessus avertit. De ea sic loquitur *Hipp.* aph. 74.

fect. 4. *Quibus spes est abscessum fore ad articolos, eos liberat ab abscessu urina multa, & crassa, & alba prodiens.* Idem 6. epidem. sect. 4. *Urina crassa, alba, qualis Archigenis familiari erat, in lassitudinis febribus quarta die aliquando prodit, & liberat ab abscessu.* Et quidem talis urina morbificam materiam critice evacuat, praesertim si in morbis acutis signa coctionis praecesserint.

Urina, quae constanter turbida perseverat, semper funesta ominatur, praesertim si ab ejus excretione nihil levetur aeger; quae vero clara excernitur, sed paulo post turbatur, dummodo reliqua bona signa concurrant, bona reputatur in morbis acutis, quod inchoatam coctionem enunciare perhibeatur, idem dicas de urina illa, quae crassa primum redditur, ac deinde clarescit. At quae jumentorum urinae persimilis est, inminentes capitis dolores praenunciat ex *Hipp.* Si post crassam urinam sequatur urina aquosa, limpida, in acutis malum est; significatur enim convulsioni delirium, aut soporem adcessurum. Ceterum urina turbida perniciosior existimanda est in principio morbi, quam in ejus augmento, quo sane tempore natura coctionem molitur.

Urina subrufa cum sedimento itidem subrufo, etsi longitudinem morbi praenunciet, salutaris tamen censetur ab *Hipp.* At ruber ipsius color malus est, quandoquidem oleosae materiae solutionem, & alkalinam humorum indolem enunciat, eoque magis, si color urinarum splendens sit & flammeus in morbis inflammatoriis. Si color ruber profluat a sanguine in urinis latente, ea praenunciat mala, quae ab haemorrhagia diu-

turnio-

turniori proficifci poffunt, nimirum oedematiam, afcitem, laffitudinem, auriginem, difpnoeam, inappetentiam, fitim inmodicam, amphimerinam &c. Croceus urinae color auriginem indicat, de qua ea facienda funt praefagia, quae in illius hiftoria proponuntur. Interdum vero in iis obfervatur, qui febribus intermittentibus torquentur, & alkalinam humorum indolem declarat. Viridis urinae color naturam atrabilarem indicat in fanguine luxuriantem, & ea ominatur mala, quae ab ipfa derivantur. Denique niger urinarum color non mali femper eft ominis, praefertim fi pendeat ab extrinfeca cauffa; fic malus non eft in adfectibus lienis, ut videre eft in cafu Erofonis. Lienofum, cui vere, & autumno lien intumefcebat, cum dolore, & facie fublivida, five melanictero adfectum, toties liberatum, quoties urinas atramento fimiles per aliquot dies excreviffet, obfervavit *Valesius* in *Hollerium*. Sic pariter haud malus eft, fi pendeat a folutione nonnullarum febrium quartanarum. Urinas nigras in hydrope fundi docet *Sennertus*, & obfervent naturae Curiofi, idemque a fcabie retropulfa contingere teftantur. Nullum etiam periculum portendit urinae nigredo, fi adjunctam habeat haemorrhogiam, ut patet in cafu Mentonis, aut uberem fluxum menftrualem illi non abfimilem, quo conreptam fuiffe legimus aegram 3. epid. fect. 3. aegr. 2. At mala praefagit in morbis acutis, nifi fub iifdem circumftantiis excernatur teftante *Hipp.* in prognoft. Urina nigra, tenuis, parca mortem praefagivit aegro tritaeophia cafu conrepto, ut docet *Hipp.* 1. epid. fect. 2. Idem etiam refert uri-

nam

nam nigram, quae in aquosam conmutatur, funestam esse. Vid. 3. epid. sect. 3. aegr. 2. Lethalis procul dubio est urina nigra, & simul foetida; mortem etiam praenunciat quae constanter nigra est, tenuis, & aquosa, ut patet in foemina 3. epidem.

Urina oleosa expers adipis, & oleo similis tum quoad colorem, tum quoad consistentiam salutaris esse solet, nec unquam talis excernitur urina, quin materia morbifica integram coctionem subierit. Et quidem hujusmodi urinam a se plerumque observatam refert *Galenus* sine periculo ægrotantis. At quæ aranei telis similis est superne instans pinguedo mala reputatur ab *Hipp.* & *Galen.*, utpote conliquationem enuncians.

Urina constanter inodora mala est; absolutam enim cruditatem ostendit; ejusdem vero odor solito gravior periculum in morbis prænunciat, & non facilem sanationem; dummodo fœtor non sit in adsumtis; putredinosus autem urinarum odor in inflammatione tum renum, tum vesicæ inminentem earundem partium gangrænam, & mortificationem portendit.

Sedimentum squammosum, & furfuraceum mortiferum est in febribus acutis utpote a conliquatione pendens ex *Hipp.* nisi forte a vitio renum, aut vesicæ proficiscatur. Facile vero cognoscitur hujusmodi sedimenta a vitio renum minime profluere, si febris adsit acuta, & conliquativa, nec ulla urgeant symtomata, quæ renum vitia comitantur. Generatim sedimenta extranea in urinis cum a materiis pendeant, quæ ab urinariis canalibus ut plurimum abraduntur, ea ominari so-

lent

lent, quæ de morbis earundem partium constituta sunt.

Constans eorum defectus, quæ in urinis contineri debent, pessima prænunciat tum in acutis, tum in chronicis morbis, difficilem, ac fere nullam esse coctionem, sed salinas, ac terrestres particulas a reliquis humoribus minime secerni demonstrat. Idem ominandum, si nonnulla ex iis se præbeant conspicienda, & mox evanescant.

Denique urina acris, quæ cum dolore, & uberrime excernitur, sæpe critica est in morbis acutis, ut docet *Hipp.* 1 epidem. sect. 1. At excretio modica urinæ acris, qua nihil sublevetur æger, lethalis est; quippe serosum liquidum ab urenti calore internas partes adficiente absumtum ostendit. De Sileno refert *Hipp.* quod paulo ante mortem modicum urinæ acris excreverit; & in multis ardenti febre conreptis paulo ante quam postremum diem obirent similem acris urinæ excretionem a se observatam fuisse testatur *Prosper Alpinus*.

Observandum hic est excretiones urinæ, quæ fiunt insciente ægro, pessima ominari. De his ita loquitur *Hipp.* in coac. *Urinæ, quæ minguntur a non recordantibus, nec conmonefactis, pessimæ sunt*; quippe ut docet *Galenus*, privationem sensus, & functionum naturalium enunciant.

Observandum etiam in multis febribus acutis urinam nihil discrepare ab urina sanorum, quoad colorem, consistentiam, & hyposthasim, & tamen ægri mortem ab ea pronunciari; ostendit enim nihil morbosæ materiæ per urinas evacuari, sed ad insigne aliquod viscus deportari, quod lethale est

in phræneſi, pleuritide, & peripneumonia.

Quid! quod inſtantes morbi ex urinis ſenſibiliter mutatis præſagiri poſſunt. Sic urinæ præter morem tenues, & crudæ ſine repletione in iis, qui comitiali morbo tentari ſolent, morbi inſultum prænunciant, præſertim ſi dolor ſummum humerum, cervicem, aut dorſum adfecerit. Sic in febribus intemittentibus urina tenuis, & minimo colore imbuta ut plurimum inſtantem febrilem paroxyſmum portendit. Sic pariter in fœminis hyſtericis, & hominibus hypocondriacis uberior aqueæ urinæ copia imminentes eorundem morborum paroxyſmos enunciat, atque ita de reliquis.

Denique ex urinarum indole inferri poteſt quanam criſeos ſpecie ſolvetur morbus ad ſalutem terminaturus. Ita ſi coctionis ſignis occurrentibus copioſæ, & conſtanter tenues excernantur urinæ, ſtatuendum eſt morboſam materiam per abſceſſum e ſanguine deceſſuram. Ita quoque ſi urinæ quidem coctæ, at parva quantitate reddantur, interim vero mitiora fiant morbi ſymtomata, & cutis ſit humida cum pulſu molli, & undoſo, feliciter ſolvetur morbus per criticum ſudorem, per diureſim vero, ſi urinæ ſint coctæ, craſſæ, & eodem tempore uberiores. Ita pariter ſi cocta excernatur urina, & ſurditas adſit, per hæmorrhagiam fiet morbi ſolutio. Tandem ſi flavæ excernantur urinæ adeo, ut ab ipſis alba corpora flavo colore inficiantur decerni poterit per icterum ſolutum iri morbum; & ſic de reliquis, dummodo cum urinis alia ſigna datæ cujuſvis criticæ evacuationis occurrant. Sed de urinis plura habet *Hipp.*

C A-

CAPUT XXXI.

DE PROGNOSTICIS EX LACRYMIS.

DE lacrymis pluries loquutus eſt *Hipp.* & ubique confirmat quod monuit aph. 52. ſect. 4. ſcilicet, quod *quibus in febribus, vel in aliis morbis non ſponte lacrymæ erumpunt, malum; qui enim ſponte inlacrymant, nullum hoc de nomine periculum ſubeunt*. Sæpe tamen in morbis acutis, ſi non ſint cum ſignis exitialibus, hæmorrhagiam narium prænunciant lacrymæ ex eodem *Hipp.* 1. epidem. ſect. 2.

CAPUT XXXII.

DE PROGNOSTICIS EX MUTATIONE QUALITATUM CORPORIS GENERATIM.

MUtationem qualitatum corporis quod adtinet, illud in genere animadvertendum eſt, quod ſi in morbis maxima fiat corporis mutatio, qualiscumque ipſa fuerit, malum ſemper prænunciatur; ubi notandum, quod nec bonum ſit nullam fieri mutationem corporis exiſtente morbo, ut ſcite monuit *Hipp.* aph. 28. ſect. 2. quo ait *non omnino leviter febricitantium permanere, & nihil mi-*

tui corpus, aut etiam magis, quam pro ratione contubescere, malum; illud enim morbi longitudinem, hoc imbecillitatem significat. Malum quoque est in declinatione morbi corpus alimento non refici ex ejusdem aph. 31. ubi docet, *quod si a morbo bene comedenti corpus non proficiat, malum*. Ut autem malum est corpora in morbis vehementer extenuari, & cotabescere, ita & inflari *Hipp.* 2. prognost. hæc habet. *Aqua inter cutem si ex acuto morbo cœpit periculosa est; neque enim febrem solvit, sed doloribus torquet, atque interficit*; ubi signatur ab ipso *Hipp.* habitus corporis præter rationem universe tumescentis. Quod si ad peculiarem corporis partem fiat mutatio, hoc, prout illæ nobiles fuerint, aut ignobiles, signa profert. Ita in acutis, sive etiam in longis morbis si tumescant pedes, non inde tamen pravum signum desumitur, oculis autem, & facie tumescentibus præsertim in acutis, malum.

CAPUT XXXIII.

DE PROGNOSTICIS EX COLORE.

Color utiliter quandoque mutatur in corpore, & ex hujus mutatione præsagia desumuntur. Sed nihil mutabilius occurrit flavo colore, qui in ictericis conspicitur. Icterus autem aliquando morbis supervenit; & quoniam diversa est pro diversitate temporum, quibus adcidit, ratio præsagien-

di

di, propterea notandum quod utilis censeatur i-cterus, si morbo post coctionem humorum superveniat teste *Hipp.* aph. 64. sect. 6. ubi sic ait; *quibus per febres morbus regius die septimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto supervenerit, bonum, nisi dextrum hypocondrium durum sit, alioquin minime bonum*. Qui contrario modo adparet icterus pro malo habetur. Certe *Hipp.* aph. 62. sect. 4. sic habet. *Quibus per febres morbus regius supervenerit ante diem septimum, malum*; quæ tamen sententia non est habenda pro universali, ut testantur *Averrhoes*, & *Hollerius*, utque constat ex epidem. ipsius *Hipp.* dummodo superveniat hæmorrhagia, vel sudor &c. De his consulatur *Schenchkius*. Critica est aurigo in pleuritide biliosa, si septimo adcedat die, ut observat *Forestus*.

CAPUT XXXIV.

DE PROGNOSTICIS EX FACIE.

AD mutationes quod spectat peculiarium partium, nihil contemplabilius occurrit facie ægrotantis, quæ si cum sano homine similitudinem servare comperiatur, & præsertim cum ægro, antequam morbo conriperetur, tunc licebit bene de illo ominari, ut habetur ex 1. prognost. Prava vero erit facies, cujus notas *Hipp.* ibidem recensuit, & idcirco dicitur Hippocratica. Talis autem fuerit; oculi cavi, nasus acutus, tempora con-

lapsa

lapsa, aures frigidæ, & contractæ, cutis dura; color pallidus, aut niger; atque hæc quidem facies lethalis erit, nisi monente ibidem *Hipp.* talis fuerit propter antecedentem vigiliam, aut alvi dejectionem; quamquam & hæc ipsa cum tali facie copulata nihil boni exhibeant. Idem etiam ait 2. prorrhet. *Faciei color bonus, & mœstitia multa, malum;* ut videas mutationem nedum in pejorem qualitatem, sed etiam in meliorem esse metuendam; quod cpnfirmatur ex aliis locis prorrhet. & ex coac. qnoque, ubi ait, *qui capite dolent firmiter delirantes, alvo subpressa, feroci adspectu, rubore in facie efflorescente in posteriorem partem convelluntur*. Sed & partes faciei sua singillatim exhibent signa futuri exitus. Nam oculi ut ait *Hip.* 6. epidem. ut valent, ita corpus, atque in primis caput. Bene autem valent oculi, si sanis similes fuerint, si splendidi, pleni, si lumen non aversentur, si palpebris obcludantur, & per occasionem aperiantur libere, nec ulla molestia adficiantur, si lacrymis, atque excrementis non scateant. Hæc omnia patent ex 1. prognost. ubi legantur adtente, & expendantur signa, quæ ex oculis tum vigilantibus, tum per somnum clausis desumuntur. Damnantur in ægris oculi feroces, & horridi, quippe qui delirium portendunt. Damnantur & oculi nimis adtenti, & fixi, quos concretos, & stabiles vocant, de quibus 2. prorrhet. habetur; *hebetatus oculus, vitiatusque, & concretus, inmobilisque, & tenebrosus si fuerit, malum*. Ad nares quod adtinet, jam de acuto supra diximus naso in facie hippocratica. Nunc monendum restat de ejusdem nasi contorsione, & convul-

sione

ſione, itemque de nimio pruritu, niſi hic ſit indicium ſanguinis jam jam effluxuri. Sunt enim pravi morbi argumenta, & pruritus delirium prænunciat. Lethale etiam ſignum eſt livor, aut nigredo narium, quæ jam ſint contractæ, qnemadmodum & ſimilis in maxillis color, præſertim talis ſub morbi initium adparens.

CAPUT XXXV.

DE PROGNOSTICIS EX MUTATIONIBUS. IN LINGUA ADPARENTIBUS.

SEdulo expendendæ ſunt mutationes in lingua adparentes; nam ejus color, qui ad lividum, vel nigrum vergit, ſemper ſuſpectus, præſertim ſi cum colore conjungatur aſperitas. De lingua 1. prorrhet. ait. *Hipp. denſæ linguæ phreniticæ*. Et in coac. *Lingua, quæ in principio horrida, in eodem vero colore perſeverans eſt, procedente vero tempore, ubi exaſperatur, liveſcit, funditur, mortem denunciat. Quod ſi valde nigreſcat, die decimo quarto judicationem promittit*. Periculi autem maxime plena eſt lingua nigra, & ex virore palleſcens. Quod ſi lingua fuerit aſpera, & nigra, æger autem non ſitiat, omnium maxime periculoſus eſt morbus.

CAPUT XXXVI.

DE PROGNOSTICIS EX MUTATIONIBUS IN FAUCIBUS ADPARENTIBUS.

FAuces quoque ſua præbent indicia, & ſignificationes, ut habetur 3. prognoſt. Neque leviter terreri debemus, ubi fauces febrienti exulcerantur, cui ſi aliud quoque ex magnis, quæ ſupra declaravimus, adceſſerit, in periculo ægrum verſari putandum eſt. *Hipp.* 1. prorrhet. ait. *In acutis morbis faucium ſine tumore dolores, & puſilli, & ſtrangulantes, atque cum æger hiaverit, non facile os tum cogere, tum claudere, mentis alienationem portendunt, ex his phrenetici fiunt, & perniciose habent.* Et aph. 35. ſect. 4. *Si febre detento repente collum intorqueatur, ut vix deglutire queat, nullo exiſtente tumore, mortiferum.*

CAPUT XXXVII.

DE PRONOSTICIS EX HYPOCONDRIIS, VENTRE, ET EXTREMITATIBUS.

EX hypocondriis etiam, & ventre conliguntur ſigna non contemnenda. *Hipp.* 1. progno. hæc habet. *Ilia ſaluberrima ſunt, ſi dolore vacant, ſi mollia, & æqualia ſunt dextra, & ſiniſtra parte.* Ibidem 2. *Venter ſit corporatus, ac mollis neceſſe eſt.*

Et

Et aph. 33. ſect. 2. *In quovis morbo partes circa umbilicum, & pectinem habere craſſitudinem melius eſt. At vehemens tenuitas, & eliquatio prava eſt. Periculoſa vero talis eſt etiam ad infernas purgationes*. Extremitates tandem corporis prognoſim ſubpeditant, nempe aures, manus, nares, pedes, ut docet aph. 48. ſect. 4. & preſſius aph. 1. ſect. 7. Legitur 2. prognoſt. S*i manus, ac pedes frigidi ſunt ventre, coſtiſque calentibus, malum*. Ibidem *gravitas corporis, quæ vel manus, & pedes, vel reliquum quoque corpus premit, periculum ſignificat. Quod ſi cum gravitate ungues etiam, ac digiti adficiantur livore, continuo mors expectanda eſt*. Si vero cum nigredine pedum, & digitorum ſalutaria ſigna copulentur, ſperandus erit abſceſſus, & ſubpuratio, adeoque exitus ſalutaris.



ΘΕΡΑ-

ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΙ

CAPUT I.

DE INDICATIS, INDICANTIBUS, ET INDICATIONIBUS.

POſtquam Medicus diagnoſticorum ſignorum praeſidio morbi nomen, varios ejuſdem gradus, partem adfectam, & indolem materiae morbum inferentis determinavit, per ſigna vero prognoſtica detexit quid ſperandum ſit, quidve metuendum, jam eo proceſſit, ut inferre tuto poſſit quid ſibi faciundum ſit, idque illud eſt, quod dicitur indicatum, ſcilicet ea omnia, quae aegrotanti corpori convenire, ac prodeſſe judicantur vocari ſolent a Medicis indicata; indicantia vero ea adpellantur, quae in corpore ipſo aegrotante occurrunt aliquid opis innuentia, qua aeger a morbo levari poſſit; nempe indicantia dicuntur phaenomena, vel effectus morboſi, qui, cum naturam morbi, ejuſque cauſſas patefaciant, oſtendunt Medico quid ſibi praeſtandum ſit ad curationem ipſius morbi feliciter adſequendam. Demum indicatio non aliud eſt, quam ſelectus, & determinatio modi, quo curationem inſtituere debeat,

beat, & remedia exhibere ratione habita ad indicantia, ut ea proinde nihil sit aliud, quam ratio illa, qua Medicus ipsemet ex iisdem indicantibus ea conligit, statuitque, quibus propositum sibi finem adsequi possit, morbosas nempe fluidorum, & solidorum adfectiones ad naturalem statum revocare.

Indicationem autem vulgo dividunt in prophilacticam, curatoriam, vitalem, & symtomaticam, prout auferendas censent morbi caussas, morbum ipsum, virium debilitatem, & symtomata; quae tamen divisio observante *Pitcarnio* inanis est, & absurda. Cum enim, ut praeclare animadvertit *Sauvagesius* sublato morbo tollatur & caussa, cujus est effectus, & simul tollantur symtomata, quorum concursus morbum constituit, vel est morbus ipse, indicatio curatoria prophilactica simul est, & symtomatica. Sed & ipsa debilitas est symtoma, atque adeo sublato symtomatum concursu, scilicet morbo, restituuntur, & servantur vires ipsae, hinc est ut indicatio vitalis a curatoria perperam separetur. Indicatio vel est rationalis, vel empirica. Prior est cognitio utilitatis, vel opportunitatis cujusdam porrigendi auxilii in dato quopiam morbo, ex qua voluntas ad id, quod profuturum cognoscimus, agendum, vel praescribendum determinatur. Altera est memoria utilitatis, quam certum quoddam auxilium in simili casu adhibitum adtulit, licet agendi modus, & morbi conditio, vel caussa ingoretur. Valet haec in usu remediorum specificorum, quorum utilitatem sola experientia, vel historia proferre in medium potest.

Indi-

Indicantia ad duas classes revocantur; primae classis ea sunt, quae supra definivimus. Ad alteram referuntur aetas, sexus, temperamentum, vitae genus, aegri consuetudo, adfectarum partium conditiones, scilicet earundem sensibilitas, peculiaris consensus, & necessitas ad vitam, aer, regio, temporis constitutio, tempora morborum, & alia hujusmodi, quibus omnibus confirmantur indicationes, quae ab indole, caussa quo morbi profluxerunt. Hinc licet ex his alia abeant in coindicantia, alia tamen evadunt contraindicantia. Coindicantia tunc vocantur, cum illud ipsum indicant, quod ab indicante primae classis indicatum fuit. Ex. gr. si excedens copia sanguinis sit indicatum primae classis, & curanti Medico se se obferant aetas juvenilis, temperamentum sanguineum, & insignis virium gradus, quandoquidem singula haec detractionem, sive imminutionem sanguinis coindicant, idcirco dicuntur coindicantia.

Quod si in morbo aliqua contingant, quae indicanti primae classis adversentur, haec dicuntur contraindicantia. Ita ex. gr. pleuritis inflammatoria detractionem sanguinis indicat, sed aegri debilitas indicat contrarium.

Prohibentium vero nomine tunc vocantur contraindicantia, cum non solum indicanti primae classis adversantur, sed contrarium etiam omnino indicant; sic prohibens esset insignis virium exsolutio in aegrotante, cui secandam venam inflammatoria pleuritis indicaret. Eadem exsolutio virium purgationem prohibet, & sic de ceteris.

Tan-

Tandem ea nuncupantur permittentia, quae non omnino, & absolute, sed ex parte tantummodo coindicant, aut repugnant, adeoque sinunt, ut indicatum remedium aliqua ratione adhiberi possit.

CAPUT II.

DE MEDICAMENTIS EX PHARMECEUTICO FONTE DESUMTIS AC PRIMO DE SALINIS ACIDIS.

CUM vires mechanicae per se, ut alibi diximus, minime omnium sufficiant naturalibus effectibus procreandis, hinc ne tyrones Medici aliquid ex eo difficultatis offendant, quod medicamentorum vires ex legibus plane mechanicis deduxerint Physiologi plerique omnes, ac praecipue *Boerhaavius*, iidemque proinde falsa pro veris, ut Ixion pro Junone nebulas complectantur, operae pretium est, ut medicamentorum ipsorum vires, & agendi rationem ex physicis principiis explicemus. Atque ut a medicamentis salinis exordiamur, observandum est haec vel acida esse, vel alkalica, vel media. Primi generis medicamenta sunt acetum, acetosa, fraga ribesium, uvae inmaturae, citrea mala, cydonia, aurantia, spiritus ex vitriolo, alumine, sale marino, nitro, & sulphure educti &c. Haec autem medicamenta cum fixiori donentur acido maxime valent ad

nimiam fraenandam haematosim, & ad excedentem sanguinis solutionem, aestuationemque compescendam, ac propterea temperantia, & refrigerantia nuncupari consueverunt. Et quidem cum inter materiam sanguinis phlogisticam, & acida hujusmodi corpora nulla vis intercedat mutuae adtractionis, hinc efficitur, ut materia illa phlogistica aliquem ab iisdem corporibus congelationis gradum patiatur, ut magis proinde coercita difficilius ab aeris solventibus adtrahatur, & minus minusque solvatur, non secus ac phlogistica sulphuris materia ita conglaciat per interpositionem acidi vitriolici, ut ipsimet inflammabili sulphuri non parum de nativa inflammabilitate decedat, & inflammabilitas cerae, & saebi retardetur per admistionem aluminis, quod forti abundat acido, ac demum minor efficiatur olei solutio flammea, si in oleum ipsum ardentis lucernae parum salis inmittatur, & cum eodem oleo conmisceatur. Haematosim etiam vividius procedentem fraenant salia media, nt nitrum, plantae omnes nitrosae, ut & nitrosae quaeque, nec non serum lactis. Atque haec medicamenta plurimum prosunt in synocho ardenti, in sanguifluxu a fervore, & velocitare nimia fluidorum, in haemorrhagia plethorica, schorbuto, phaenigmo, ardore, polydipsia, & anorexia febrili, colica biliosa, hepatalgia infarctu ab intemperie, ut vocant calida, & similibus morbis. Cum autem medicamenta cardiaca ea vocari soleant, quae motum cordis vividiorem efficiunt, cumque solutior humoris sanguinei compages minus sit aptior ad fibras motrices contrahendas, roborandasque,

hinc

hinc est, ut medicamenta acida, de quibus huc usque diximus, & quibus sua sanguini consistentia restituitur, cardiaca vocari possint.

CAPUT III.

DE MEDICAMENTIS ALKALICIS.

Medicamenta alkalica sunt sal absynthii, cardui benedicti, tartari, salia aquarum carolinarum, borrensium, cornu cervi ustum &c. Hujusmodi vero medicamenta cum magnam vim habeant ad acidum bilis, aliorumque fluidorum adtrahendum, & absorbendum, illud efficiunt, ut minor acidi quantitas in sanguinem ingrediatur, atque ita regelatio inflammabilis substantiae ipsiusmet sanguinis, caseosae vero adtenuatio promoveatur. Huc etiam faciunt acida vegetabilia quae volatiliori referta sunt acido. Hujusmodi enim vegetabilia plurimum valent ad congelatum nimis, & fixum acidum in sanguine haerens regelandum. Hoc autem ita regelatum cum facilius ab aereis solventibus adtrahatur, citius e sanguine ab illis educatur oportet, atque adeo inflammabilis materia regelascat, adtenuetur caseosa, & viscíditas sanguinis auferatur. Atque hinc est, quod hujusmodi medicamenta adtenuantium, incidentium, & resolventium nomine vocari consueverint. Generatim haec prosunt in hypocondriasi asthmatica, singultu cachectico, dyspnoea pituitosa, arthriti-

 de

de rheumatica, hepatalgia infarctu a frigida, ut ajunt, intemperie, & similibus.

CAPUT IV.

DE MEDICAMENTIS AROMATICIS.

MEdicamenta aromatica dicuntur quae spiritu volatili oleoso abundant, adeoque fragrantem odorem emittunt. Hujusmodi sunt cyperus, angelica, calamintha, hyssopus, majorana, mentha, salvia, abrotanum, ocymum, ros marinus, thymus, serpillus, radix zedoariae, enulae, melissae, angelicae, prae ceteris vero, quae materia phlogistica abundant, eademque plurimum evoluta, seu regelata, ut nux moschata, caryophilli, piper, gingiber, aliaque permulta. Horum omnium medicamentorum actio in eo sita est, ut ratione substantiae phlogisticae, quam continent, inflammabilis materiae sanguinis adtenuationem promoveant; atque inde est, quod hujusmodi medicamenta inter adtenuantia, & incidentia referri possint, & calefacientia pariter nuncupari praesertim quae materia abundant plurimum regelata. Multae igitur utilitatis erunt in morbis illis omnibus, in quibus sales alkalicos convenire supra dicebamus. Quoniam vero nimium adstricta sanguinei laticis compages minus valet ad fibras motrices roborandas, contrahendasque, hinc medicamenta superius exposita ut pote quae ma-
chi-

chinam cordis potentius irritare possunt, ejusque motum vividiorem efficere, cardiaca dicenda sunt.

CAPUT V.

DE MEDICAMENTIS AMARIS.

MEdicamenta amara sapone constant naturali, sive ex duplici principio, salino nempe fixiore, & oleo intime unitis coalescunt. Talia sunt cichoreum, endivia, carduus benedictus, sal ebsoniense &c. & inter validiora absynthium, centaurea minor, gentiana, fumaria, myrrha &c. statim vero patet vim hujusmodi medicamentorum ratione duplicis illius principii in eo consistere, ut inflammabilis materiae sanguinis regelationem excitent; Hinc adtenuantibus, & incidentibus adnumerantur, quod de saponaceis omnibus tum naturalibus, tum artefactis dicendum est.

CAPUT VI.

DE MEDICAMENTIS FOETIDIS.

FOetida medicamenta sunt castoreum, moschus, asa foetida, & similia corpora, quae sulphureae, acidaeque materiae plurimum continent.

Haec autem cum ſit fluido nerveo, nerveiſque canalibus maxime heterogenea, patet per hanc ipſam heterogeneitatem fieri neceſſario debere, ut ipſius fluidi nervei excedens motus, & elaſticitas infringatur. Hinc eſt, ut hujuſmodi medicamenta, & praeſertim moſchus in hyſteria, ut & in convulſionibus omnibus maxime commendetur, dummodo convulſionum ipſarum cauſſa inflammationibus, aut vulneribus non debeatur.

CAPUT VII.

DE MEDICAMENTIS AQUOSIS, ET OLEOSIS.

MEdicamenta aquoſa ſunt aqua conmunis, aquae minerales, aquae deſtillatae, ſerum lactis &c. Oleoſa vero ſunt oleum olivarum, amygdalarum dulcium, adipes, medullae, axungiae, butyrum &c. ex iis autem, quae alibi conſtituta ſunt, inlico patet homogeneitatem, quam ejuſmodi medicamenta habent cum ſolidis, ex quibus canales componuntur, in cauſſa eſſe, cur ab iiſdem adtrahantur, atque adeo diſtrahentium contactuum numerus augeatur, compoſitum proinde flexilius efficiatur, nimiaque fibrarum rigiditas, & meatuum adſtrictio relaxetur. Hinc eſt, quod hujuſmodi medicamenta laxantia, & emollientia vocari ſoleant. Sic olea ex maturis vegetabilium ſemi-

ſeminibus expreſſa, & praeſertim oleum amygdalarum dulcium vim habent emolliendi, & laxandi. Oleoſa item omnia, ad quae pinguia, & ſubpinguia referuntur, eandem referunt naturam. Emolliunt etiam, & laxant aquoſa omnia, ut balnea calida, praeſertim ſi vegetabilia emollientis naturae, ut radices malvae, altheae, parietaria, malva, branca urſina, flores camemeli, meliloti, ſemina lini, foenu graeci &c. cocta fuerint in aqua ad balneum parata. Sane ingens eſt uſus balnei calidi in nimio muſculorum, ac ligamentorum rigore, atque adeo in contractionibus artuum, in adſtrictione alvi ob excedentem inteſtinorum contractionem, in variolis, aliiſque pluribus morbis, & aqua calida pro placidiſſimo, ut *Boerhaavii* verbis utar, ad dolorum acerrimos fomento conmendatur ab *Hippocrate*.

Quoniam vero balnei mentio facta eſt, obſervaſſe juverit a veritate deflexiſſe *Raulinum*, dum monuit, ne quis in balneo diu conmoretur. Contendit enim, quod cum partes balneo inmerſæ comprimantur pondere hujuſce fluidi octies centies majore, quam ſit pondus aeris, plurimum detrimenti adlatura ſit inmerſo corpori inmanis illa compreſſio. At vero licet ex rationibus *Halleyi*, & *Muſschenbrœkii* aquæ pondus reipſe majus octingenties habeatur atmoſpheræ pondere, haud vero quadringenties, ut *Galilæus* exiſtimavit, non inde tamen ſequitur, ut pondere octies centies majore, quam ſit pondus aeris, corpus balneo inſidens conprimatur. Ut enim tantam hanc pati compreſſionem poſſet, illud fieri deberet, ut eidem columna aquea ſuperincumberet, cujus altitudo atmoſpheræ

altitudinem exæquaret, quod certe non contingit in balneo.

CAPUT VIII.

DE MEDICAMENTIS FARINOSIS, ET CRASSIS.

FArinacea, & crassa medicamenta, quæ etiam incrassantia nuncupantur, sunt avena, hordeum, amylum, leux, gelatina cornu cervi, ova sorbilia, radices altheæ, farfara, lactuca, flores sambuci, violarum, borraginis, buglossæ, juscula carnium animalium juniorum, & præsertim extremitatum eorundem, glutinosa demum, gummi arabicum, tragacanthum, aliaque plura. Hæc autem medicamenta tenuitatem sanguinis tollere, atque humores incrassare putandum est, quod materiam phlogisticam plurimum congelatam contineant, quam cum in sanguinem invehant, in caussa sunt, cur ipsius substantia phlogistica magis magisque conglaciet, minusque proinde ab aeris solventibus adtrahatur, solvaturque. Atque hæc generatim valent in atrophia a sanguifluxu, diabete anglico, phthisi humida, typho exhaustorum &c. Cum autem ab acidis condensentur humores nimium soluti, sequitur, ut ad incrassantia referri possint succi quorumlibet fructuum acidorum, gelatinæ quoque, & syrupi ex iisdem parati, ut syrupi, & gelatinæ granatorum, ribesii, aurantiorum, itemque tincturæ per liquores acidos ex rosis

rosis, papavere rhæados, & similia confectæ.

CAPUT IX.

DE MEDICAMENTIS DULCIBUS.

Medicamenta dulcia sunt amygdalæ dulces, semina omnia dulcia, dactyli, liquiritia &c. præsertim vero lac, cujus nostris hisce temporibus frequentior est usus in medicina. Hujus medicamenti pars phlogistica cum plurimum congelata sit, hinc est, ut ejus agendi ratio eadem plane sit cum actione medicamentorum farinaceorum, & crassorum, & iisdem plane morbis conveniat. Cum autem nutritionem augeat, sed sæpe etiam laxitatem inferat, dejectionesque sollicitet, sequitur, ut ipsum agere debeat vi quadam homogeneitatis cum interna seu ventriculi, seu intestinorum substantia. Dum enim ab iisdem tunicis absorbetur, majorem in ipsis excitat continuitatem, ob quam eædem in majorem laxantur flexilitatem, atque adeo quæ intestinis ipsis continentur materiæ de corpore secedunt. Hoc præ ceteris præstat lac asininum, itemque serum lactis magna copia propinatum. Et quidem *Hipp.* in morbis chronicis lacte asinino purgabat. Sero autem lactis adfatim exhibito laxari intestina, & moveri alvum quotidie videmus, atque ita diuturnos, contumaces, desperatosque morbos sanari. Præterea cum ab eodem acrimoniam humorum obtundi certum sit,

hinc

hinc est, ut ipsum edulcorantis medicamenti nomine insigniri consueverit. Eodem etiam nomine donantur decocta ex pullo juniore, vitulina carne, ranis, testudinibus, decoctiones hordei, emulsiones ex seminibus dulcibus paratæ, radices altheæ, & plura alia his similia. Sed cum plerumque generalium hujusmodi edulcorantium ope optatum finem adsequi non liceat, idcirco pretium operæ erit quæ remedia in unaquaque acrimoniæ specie maxime conveniant paucis delibare. Acidam igitur acrimoniam enervant, & tandem omnino tollunt remedia, quæ materiam acidam adtrahere, & infringere plurimum possunt, cujusmodi sunt terræ omnes bolares, ut bolus armœna, corallia, cornu cervi ustum, lapides cancrorum, testæ ovorum calcinatæ, & omnia fere genera concharum.

Acrimonia alkalina conrigitur ab acidis, quibus sales alkalici in neutros conmutantur. Hæc alibi declaravimus.

Acrimonia muriatica tollitur ope diluentium, & edulcorantium supra descriptorum.

Acrimoniæ putridæ, in qua nempe humores nimium soluti in alkalicam abeunt conruptionem, medentur remedia balsamica, qualia sunt radices scordii, imperatoriæ, angelicæ, rutæ caprariæ, flores aquilejæ, semina cardui benedicti, succinum, myrrha &c.

Aliæ præter expositas recensentur a Medicis acrimoniæ species, biliosa nempe, empyreumatica, & rancida. Biliosa, quæ cum a subtili oleo, & subtili etiam, ac volatili adjuncto sale foveatur ex *Etmullero*, nitrosis quibuslibet, & blande

acidis

acidis ex vegetabili regno depromtis conrigi potest.

In empyreumatica, in qua ſcilicet acre oleum dominatur, præter nitroſa, & blande acida, adprime proſunt mucilaginoſa, & blande oleoſa, ut emulſiones ex ſeminibus dulcibus, & frigidis paratæ.

Rancida demum, in qua oleum peculiarem quandam contrahit aciditatem, remediis antiſcorbuticis, ſive ſale volatili paulo acriore præditis removenda eſt.

CAPUT X.

DE MEDICAMENTIS AUSTERIS.

Medicamenta auſtera ſunt præ ceteris alumen, vitriolum, ſpiritus vini rectificatiſſimus, & quæ plurima, ex eodem componuntur. Horum actio medicamentorum rigiditatem, & majorem in ſolidis partibus firmitatem efficientium exinde repetenda eſt, quod major ab illis nervei laticis adfluxus excitetur vi heterogeneitatis, qua donantur relate ad nonnullas canalium ſubſtantias, ut hæ proinde magis magiſque condenſentur, & conſtringantur, vel homogoneæ quædam partes regelentur, & ex illis educantur, atque ita reliqua moles in minus redigatur volumen, ſcilicet contrahatur, & robuſtior, ac rigidior efficiatur. Hac potiſſimum ratione ut animalium fetus a putredi-

ne præcaveantur, in ſpiritu vini demerguntur; hic enim plurimum humoris ex illis extrahit, ex quo efficitur, ut ipſorum carnes in rugas contrahantur, atque adeo majorem adquirant firmitatem.

Auſtera mitiora vocari ſolent adſtringentia. Hujus generis ſunt folia, ſemina, & radices plantaginis, ſuccus ejuſdem inſpiſſatus, ſymphitum majus, folia tenella hyperici, quercus, flores roſarum rubrarum ſiccarum, & inter paulo validiora radix biſtortæ, pentaphilli, tormentillæ, ſimaruba, cortex peruvianus, cortex item granatorum, balauſtiorum, ſuccus acaciæ, ſanguis draconis &c. Huc referri etiam poteſt aqua frigida. Cum enim omnis deficiat adtractio inter ſubſtantias carnium, & partes aquæ frigoriferas, illud neceſſario fieri debet, ut vaſorum latera magis contrahantur, vividioreque rigore intendantur. Magnæ igitur utilitatis erit uſus aquæ frigidæ, & præſertim balnei frigidi in debilitate, ſeu paralyſi partium humani corporis, quam nimia nervorum laxitas intulerit, itemque in molliori corporis conſtitutione, ac nimia proinde ſenſibilitate, quæ ſane conſtitutio valetudinaria dicitur a *Celſo*. Quin, ſi fides habenda eſt *Bartolino*, tantam vim habet ad conſtringendum aqua gelu adſtricta, ut ipſum aneuriſma per impoſitam tumori nivem ſanari poſſit. Conveniunt autem adſtringentia in qualibet hæmoptyſi, phthiſi hemoptoica, hæmatemeſi, hæmaturia traumatica, menorrhagia inmodica, item in inmodicis hæmorrhoidibus, diarrhœa vulgari, ſerifluxibus, herniis &c. Conveniunt præterea in morbis illis omnibus, in quibus uſui eſſe poſſunt antiſeptica, quandoquidem, ut docent *Pringlius*, & *Macbri-*

dius

dius, adſtringentia medicamenta virtute donantur antiſeptica. Denique adſtringentia in fluxu ſanguinis ſunt medicamenta, quæ inter incraſſantia retulimus, ut per ſe patet.

CAPUT XI.

DE MEDICAMENTIS TERREIS.

TErrea medicamenta ſunt agaricus mineralis, bolus nucerinus, ferrum &c. De ferro, cujus hodie maximus eſt uſus in medicina, illud notabimus idem ex duplici ſubſtantia coaleſcere, nimirum ex terra quadam vitreſcibili, & materia phlogiſtica, quæ per adfuſionem fluidi acidi a vitrea facile ſeparatur. Cum itaque adtracto acido a vitreſcibili parte ferri laxetur inde, ac ſeparetur materia illius phlogiſtica, hæc utique inflammabilem homogeneam ſanguinis materiam rarefaciat neceſſe eſt, ſolutionem ſanguinis, flammamque vitalem intendat, ut mirifice confirmatur ab incremento tum caloris vitalis, tum ſanguinis motus, quod in iis obſervatur, ad breve tempus, qui ſufficientem ferri quantitatem adſumserunt. Unde conſequitur crocum martis, ferrum ſcilicet, quod igne combuſtum eſt, impar eſſe eidem phlogiſticæ ſanguinis ſubſtantiæ rarefaciendæ, quod in ipſo nimirum deficiat phlogiſtica materia, utpote quæ per ignem inde exahalavit. Hinc ferrum inter incidentia, & calefacientia recenſeri poteſt, & in mor-

morbis illis adprime convenit, quæ ex nimia sanguinis viſciditate proficiſcuntur. Eadem dicas de ſale ammoniaco, utpote qui phlogiſtica donatur ſubſtantia maxime regelata.

Hactenus egimus de medicamentis, quorum adfectiones ſenſibus innoteſcunt. Nunc ad ea gradum faciamus, quorum proprietates ab effectibus deſumi ſolent; sit igitur.

CAPUT XII.

DE MEDICAMENTIS NARCOTICIS, ET HYPNOTICIS.

NArcotica medicamenta ea nobis ſunt, quæ, ut ait *Boerhaavius* dolorem tollunt ſtuporem inferendo. Horum actio in eo conſiſtere videtur, quod nervei fluidi copiam non parum minuant, ſive de corpore educant, quod præ ceteris præſtat opium majore quantitate propinatum. Et opium quidem ſale ſuo volatili hæmatoſim excitat, & intenſiorem reddit, ut ex eo evincitur, quod ab opio pulſationes cordis, & arteriarum augeantur, humorumque omnium circuitus adceleretur, exhilaretur animus, corpusque reficiatur, ſed ſimul fluidiſſimum facit, & in ſpumeum quendam lentorem redigit eorum ſanguinem, qui ipſimet opio largius indulgent, ut de Indis, & Turcis teſtantur obſervationes, quod ſane ab intenſiori hæmatoſi, auctoque humorum circuitu proficiſcitur. Verum etſi ab inten-

intensiori, vividiorique facta hæmatosi major nervei fluidi quantitas generetur, fieri tamen non potest, quin ejusdem per extrema nervorum effluxus solventium aereorum ope uberius deinde perficiatur, ab aucta vero fluiditate sanguinis, spumeoque ipsius lentore infarctus præsertim in cerebri vasis procreentur. Hinc effectus opii explicari facile poterunt; siquidem ab evaporatione, atque adeo ab inopia spirituum animalium profluere necessario debent dejectio virium, & sopor profundissimus morte plerumque terminandus, ab infarctu vero stupor, vertigo, paraphrosyne suboriri, que omnia observationibus adprime respondent. Narcoticis adcenseri pariter debent hyosciami nigri radix, flos, folia, stramonii semen, atropa belladonna, conium *Linnæi*, & similia, quorum omnium agendi ratio in eo sita est, ut sanguinem fluidissimum efficiant, ut sapienter putat *Hambergerus*, & phœnigmus ostendit ab usu narcoticorum excitatus, qua quidem excedenti fluiditate necessario procreari debent infarctus, atque inde supra exposita mala derivari.

Si quantitas adsumti opii minima sit, nimirum unius, vel alterius grani pondus non excedat, tunc dolorem tollit placidissimum somnum conciliando, quo casu hypnoticum dici solet. Hinc vis, & actio intelligitur pillularum de cynoglossa, ut & eorum omnium, quæ parantur ex opio, cujusmodi sunt laudanum solidum *Quercetani*, vel liquidum *Sydenhamii*, theriaca *Andromaci*, diascordium *Fracastorii*, aliorumque his similium. Eadem dicas de papavere, & papaverinis omnibus, nempe confectis ex papavere tum sativo, tum erra-

tico

tico, & sylvestri, quod rhæados vocant, idem de lactuca, quæ lacteum succum fundit opio aliquatenus similem &c.

Multa de salutaribus, & noxiis opii effectibus adcuratissime observavit *Trallesius*, eorumque sententiam refutavit, qui ab opii usu pulsum retardari contendebant, eidemque frigidam qualitatem tribuebant. *Tralesii* sententiam mirifice confirmat qualitas illa, quam in opio deprehendit *Boerhaavius*; ait enim vix aliud magis esse calidum, quam purissimum opium, quod linguæ admotum fere intolerabilem caloris gradum excitat, cuti vero adpositum instar emplastri vesicantis agit. Idem confirmant *Whyttius*, & *Avviseterus*, quorum alter ab opii moderato usu calorem oriri testatur, alter ab opio calorem ventriculi, ejusque inflammationem excitari comperiit ratione fortasse controsivi olei, quod continet præter salem volatilem. Cum autem ab opio intendatur hæmatosis, simulque nimia fibrarum rigiditas infirmetur, hinc sequitur, ut ab illius usu perspiratio, & sudor moveri debeant, atque adeo idem maxime prosit in febribus intermittentibus, quarum caussam non raro per sudores removet, & in secunda febre variolosa, dum perspirationem excitat, & humores versus cutim determinat, ut docet *Trallesius*. Sed præterea magno usui sunt hypnotica in colica, & gastrodynia hysterica, nephritide, dysuria nephralgica, ileo spasmodico, tenesmo a calculo, amphymerina singultuosa, singultu tum ab acrimonia, tum ab inanitione, syncope a dolore, pervigilio, tetano emprosthotonico, trysmo dolorifico, tussi hysterica, ferina, ischuria

churia cystospastica, uno verbo in erethismis, & quibuslibet ferocioribus naturæ conatibus, doloribus spasmodicis absque metu soporis, hystericis motibus, & in atrocibus quibusvis membranarum divulsionibus.

CAPUT XIII.

DE PURGANTIBUS.

Purgantium medicamentorum ope materiæ intestinis contentæ per alvum excernuntur, quoties ab ingestis per os medicamentis peristalticus intestinorum motus intenditur vi heterogeneitatis, quam habent ingesta medicamenta cum tunicis flexilibus ventriculi, & intestinorum; quippe motus, quem in illis excitat simplex adpositio medicamentorum sæpius flexilium concipi ab iisdem tunicis non potest, nisi convellantur ipsæ, contrahantur, & firmiores evadant, ob eandem vim heterogeitatis cum ingestis medicamentis.

Hinc generatim validiora purgantia sunt illa, quæ magis distant ab animali constitutione, ut sunt mineralia relate ad vegetabilia. Ex his autem quæ minus maturuerunt validius operantur, quam quæ magis matura sunt. Quæ vero inter matura panificam, vel vinosam fermentationem non conceperunt validiora sunt, quam fermentata. Demum inter animalia majorem ceteris paribus purgandi vim in minus adultis experimur.

 Medi-

Medicamenta purgantia in tres classes dispescuntur, scilicet vel lenia sunt, quæ & lenientia vocantur, vel mediocria, vel vehementia. Inter lenientia primum occurrunt tartarea, quo nomine intelligimus etiam vulgarem vini tartarum, & quæ plurima præsertim agunt sale suo essentiali, qualia sunt saccharum, mel, manna, tamarindi, passulæ, cassia, rosæ, violæ flores, & tenera folia persici, senna, sal anglicanus &c.

Ad purgantia mediocria referuntur aloe, hiera *Galeni*, rhabarbarum, turbith, jalappa, radix mechouchana, fungus agaricus &c.

Tandem inter vehementia purgantia numerantur helleborus albus, & niger, colocynthis, scamonea, mercurius dulcis, epytimum &c.

Observasse hic juverit experientia compertum esse quorundam purgantium usum certis quibusdam morbis adprime convenire. Sic manna plurimum confert in morbis pectoris, cassia in adfectionibus renum, rhabarbarum in diarrhœa stercorosa, ipecacuanha in dysenteria, sunt enim hæc duo remedia simul purgantia, & adstringentia. Sic etiam tamarindi maxime prosunt in febribus ardentibus, & putridis, præsertim vero prodest in synocho putri infusum sennæ, quo saburra sanguinem inspissans evacuatur, gravitas, & nausea ventriculi tollitur, secretio fluidorum intestinalium, atque adeo uberior sanguinis depuratio promovetur, excretio bilis adjuvatur, necantur vermes, putrefactio prævertitur &c. Animadvertendum etiam inter purgantia præsertim vehementia, quæ semper suspecta esse debent, reperiri nonnulla, quæ certas quasdam partes pessime adficiunt. Sic co-

locyn-

locynthis vehementes alvi dolores, & dyſenterias movet. Sic helleborus præſertim albus guttur adficit, & difficilem facit reſpirationem. Sic ſcamonea præcipue agit in ſtomachum, viresque dejicit. Sic radix jalappæ interdum convulſiones inteſtinorum, aut paralyſim excitat. Sic tandem aloe venas ani præſertim inritat, atque ita de nonnullis aliis.

Purgantia conveniunt in obſtructione, & compreſſione vaſorum capillarium a ſanguinis viſciditate, qua intulerit ſaburra in ſanguinem ipſum tranſmiſſa, quod ſuadebunt anorexia, nauſea, linguæ ſordities, febris exacerbans, capitis gravitas præter alia prægreſſa, & comitantia. Conveniunt item in aurigine, cephalalgia ſtomachica, cephalœa febricosa, ophtalmia humida, tenebricosa, chemoſi, cardialgia a ſaburra, colica flatulenta poſt ſedatum dolorem, iſchiade ab ſparganoſi, vertigine ſtomachica, ſyrigmo a ventriculo, hypocondriaſi pituitoſa, aſthmatica, boulimia verminoſa, ephemera nauſeativa, lactea, ſynocho ſcorbutica, amphimerina paludoſa, biliosa, melœna prima *Hipp.*, vomitu a ſaburra, lienteria ſcorbutica, ptyaliſmo ſcorbutico, apthoſo, flatulentia infantili, dyſodia ſtomachali, aſcite, ſingultu a gula, vel ab acrimonia, tremore a ſaburra, tuſſi ſtomachali; febribus intermittentibus, aliisque morbis.

Ad mediocria purgantia revocantur clyſteres, & ſubpoſitoria. Clyſterum actio in inteſtina craſſa primario exſeritur, ſecundario, & per conſenſum in tenuja, & in partes iisdem inteſtinis adjacentes; quare cum per eoſdem inteſtina inmediatæ a

 vitio-

vitiosis humoribus expurgentur, hinc est, quod in alvo adstricta, in dolore colico, in ileo, & aliis intestinorum morbis frequentes usurpentur. At ratione effectuum, quos praestant secundario, injici solent in intestina, ut partes cum ipsis consentientes, & aliquo modo adnexas juvent. Sic ex. gr. magnus est eorum usus in dystocia, suppressione lochiorum, adfectibus renum, stomachi, denique in casibus illis omnibus, in quibus vis, & sapor ingratus purgantium ferri ab aegris non potest.

Parari autem solent clysteres ex diversis liquoribus, scilicet ex decoctionibus herbarum, aliorumque simplicium, sero lactis, jure tenui, vel pingui, ex oleis &c. in quibus res aliae dissolvuntur ad stimulandum, ut saccharum rubrum, sal conmune, sal gemmæ &c. Interdum etiam parantur clysteres ex variis liquoribus pro diversorum morborum, & caussarum ratione, & juxta varios scopos, & usus. Sic in impedita ac denegata libera cibos adsumendi facultate per atrociores gulae, linguae, faucium, ac ventriculi morbos, tumores, paralyses, inflammationes, ulcera, vulnera &c. parantur clysteres ex jure pingui carnis vitulinae, bubulae tenerae, agninae, & hoedinae, pulli gallinacei, vel ex cremore ptisanae hordeaceae, amyli, panis, lenticulae, ovis sorbilibus, lacte, & medullis diversorum animalium, ut corpus alimento fraudatum paulisper reficiatur, ut primus docuit *Celsus*, ac deinde *Caelius Aurelianus*. Sic in febribus intermittentibus clysteres injiciuntur ex peruviani corticis decoctione parati. Sic etiam in hysteria parantur clysteres

ſteres ex decoctione matricariae, pulegii, rutae &c. quibus aſa foetida, vel galbanum admiſcentur &c.

Subpoſitoria demum, quae ad alvum exſtimulandum adhibentur, ex variis rebus parantur; ſcilicet melle ad ignem inſpiſſato, cui pulveres ſalini irritantes adſperguntur. His inteſtinum rectum ſtimulatur, ejuſdem fibrae proinde contrahuntur, & contractione ad colon uſque propagata latentes in eo foeces ad inferiora protruduntur. Quare clyſteribus quandoque ſufficiuntur ſubpoſitoria, ubi praeſertim clyſteres ipſi non recte operantur, aut ſtatim rejiciuntur. Neque ſolum ad evacuandum, ſed & ad revellendum adhiberi ſolent; atque hinc eſt, quod magno ſint uſui in adfectibus ſoporoſis.

CAPUT XIV.

DE EMETICIS.

EMetica, ſeu vomitoria actionem exſerunt ſuam perpetuo ſtimulo, quo muſculares fibrae mediam carnoſamque ventriculi tunicam conſtituentes adficiuntur, & ad violentas, & minime ordinatas contractiones ſollicitantur; nimirum emetici ſtimulo inferiores ventriculi fibrae contrahuntur, vim faciunt adverſus ſuperiores, & validiori a muſculis abdominis intentius contractis excitata reſpiratione viſcera imi ventris verſus diaphragma

vehementius urgentur, & materiae ventriculo contentae per oesophagum protruduntur. Stimulus autem, quem emetica muscularibus inferunt ventriculi fibris, tum a viribus mechanicis, tum a physicis proficiscuntur. Ad mechanicas vires revocantur mechanica faucium inritatio, quae ob continuitatem oesophagi cum ventriculo ad hujus usque substantiam propagatur, item nimia distractio fibrarum carnearum ventriculi orta ex. gr. a nimia ingostorum copia, ab oleosis, pinguibus, & aquosis praesertim si calida, & magna copia hauriantur; quippe stomacho nimis gravato ingesta stimulo sunt, unde profluit inritatio ventriculi, ut proinde illius fibrae carneae ad molestam illam sensationem, ut partibus omnibus solemne est, eexcutiendam spasmodice contrahantur. Quod pinguia vero, & alia hujusmodi laxantia cum ea sinistrum orificium laxent, non sic vero dextrum, atque ita quandam roboris inaequalitatem inducant in fibras ipsius ventriculi, utique inferiores earundem fibrarum partes validius virtute sua, quae non adeo infracta est, se se contrahentes, superioribus prævalent, ex quo efficitur, ut earum motus invertatur, & stomacho contenta ejiciantur.

Physicis autem viribus agunt medicamenta nauseam moventia, item immaginatio, & ingrati saporis perceptio; ab his enim turbato spirituum motu, ordinatoque in ventriculi fibras influxu spasmodicæ illæ contractiones vomitum moventes excitantur. Physicis etiam viribus operantur quæ ob nimiam dexteri orificii distensionem impedita, quominus elabantur e ventriculo, ibi conrum-

rumpuntur, & sic conrupta vim adquirunt stimulantem. Physicis tandem viribus agunt remedia, quoties illis cum stomachi fibris heterogeneitas intercedit; exinde enim fieri debet, ut illæ in contractiones adigantur. Hac vi heterogeneitatis vomitum movent ipecacuanhæ radix, vinum emeticum, gilla vitrioli, & similia.

Emeticorum actio non in ventriculum modo, & quæ in ipso continentur, sed & in viscera imi ventris, & thoracis exseritur. Cum enim emetica ipsa quapiam sui parte ad canales usque sanguineos pervadant, peculiarem utique solutionem excitabunt in sanguine, ex quo determinatæ materiæ per meatus ductusque ventriculi, & vicinarum partium secernentur, & partim per canalem intestinalem elabentur, partim hærebunt in ventriculo, vel e duodeno in ipsum regurgitabunt, novamque ad vomitum materiam, & irritationem adferent.

Emetica non secus ac purgantia in tres classes dividuntur, lenia scilicet, mediocria, & vehementia. Lenia ut plurimum nauseam tantummodo movere solent; hinc eorum actio juvanda est vel digito, vel penna oleo inlita, & in gulam inmissa. Hujusmodi remediis adnumerantur aqua tepida vel simplex, vel mellita, oleum amygdalarum dulcium ad plures uncias propinatum, jus pingue copiose haustum, & alia his similia, quæ lubricando, & laxando operantur.

Mediocria præter nauseam movent etiam vomitum, licet non vehementissimum. Hujus generis sunt radix asari, ipecacuanhæ, oxymel scylliticum, sal vitrioli, gilla *Teophrasti* &c.

Vehementia ſunt radix hellebori, pulpa colocynthidis, radix enulæ, nicotianæ folia, radix cucumeris ſylveſtris, medicamenta omnia ex antimonio, & mercurio parata.

Emetica indicantur a pravis humoribus ventriculum, & vicinas vias obſidentibus, ut colligi poteſt ex pravo oris ſapore, fœditate, amaritie, cibi faſtidio, nauſea, adpetitus dejectione, ructu, morſu ventriculi, dolore capitis, vertigine, tenebris ob oculos ſubinde obortis, lienteriis &c. maximeque prosunt in vomitu pituitoſo, flatulentia nidoroſa, præſertim vero in cardialgia a ſaburra, quoties adeſt cum cardialgia oris amaror, & capitis vertiginoſa gravitas ſine tenſione epigaſtrii, ut & in cephalalgia ſtomachica; docet enim *Hipp.* aph. 17. ſect. 4. quod *ſi ſit cibi faſtidium, cardialgia, oris amaror, & vertiginoſa capitis gravitas, emetico opus eſt*; Conveniunt item in gaſtrodynia ſaburrali, apoplexia pituitoſa, epilepſia ſtomachica, dyſenteria verminoſa, tryſmo ſardonico, anorexia a ſaburra, in febribus, quæ cum ſyncope, ſingultu, aut vertigine incipiunt, ut & in febribus, vel aliis quoque morbis, qui cum magna anxietate invadunt, & ægri inquieti ſunt, loco ſtare neſciunt, & hinc inde per lectum agitantur, denique in morbis fere omnibus, in quibus purgantia convenire ſupra dicebamus. Hæc autem in emetici locum ſubſtitui poterunt, ſi illius uſus aliunde vetetur.

CA-

CAPUT XV.

DE DIURETICIS.

MEdicamenta diuretica, vel urinam promoventia diversa ratione actionem suam exserunt. Alia quippe materiam in renibus secernendam ad sanguineos canales advehunt, ut aqua simplex, aquæ minerales, subtilissimum serum lactis, quod ex lacte ebutyrato per manicam *Hipp.* separatur, & vinum album, sed tenue; alia vero in data aliqua sanguinis substantia peculiarem excitant solutionem, qua urinosi fluidi quantitas adaugetur, idque, sulphura in primis efficiunt, alia denique stimulum inferunt renalibus tubulis, quo ipsius urinosi liquidi secretio sollicitatur, quod præ ceteris sales omnes abunde præstant. Observandum est autem illud quandoque contingere, ut licet in quampiam sanguinis substantiam solutio inducatur non tamen urinæ fluxus inde proveniat, sed hæc potius sub forma sudoris effluat, vel insensibilis perspirationis. Atque hinc est, quod nonnulla remedia, & præsertim sulphurea, quæ diureticis adnumerantur, optatum finem plerumque non adtingant, ut propterea ad fluxum urinæ promovendum sales omnes, & quidem alkalici tam fixi, quam volatiles aptiores esse videantur. Acida item omnia sive ex vegetabilibus, ut ex aceto, malis citreis, vel medicis &c. Sive ex mineralibus de-

prom-

promta, qualia ſunt ſpiritus nitri, ſulphuris, vitrioli &c. urinas potenter cient. Tandem in ſalibus ſalſis, ſive mediis magna vis ineſt ad movendas urinas, ut experimur in ſale marino, & gemmæ, in tartaro vitriolato, tartaro ſolubili, arcano duplicato, terra foliata tartari, & præſertim in nitro, quo præterea ſanguinis fervor temperatur, ejuſque motus aliquantulum retardatur. Patet autem ob hujuſmodi retardationem urinam a reliquis partibus recedere oportere, ad renales ſubinde porulos advehi, atque adeo ejuſdem ſecretionem promoveri. Ab hoc ſale nitroſo repetenda eſt virtus diuretica nonnullorum ſimplicium, quæ inter refrigerantia recenſentur, quod ab ea excedens humorum motus compeſcatur, nimiuſque fervor temperetur. Hujus generis ſunt portulaca, meliſſa, nymphoea fragaria, parietaria, & fortaſſe etiam urtica.

Præter hujuſmodi ſales alii etiam occurrunt in nonnullis miſtis, qui vocari poſſunt acres. Tales ſunt qui plantis inſunt antiſcorbuticis, aliiſque adfinibus, ut naſturtio aquatico, cochleariæ, & cepis, quæ præterea nonnihil continent ſubtilis olei, ut in raphano, & ſimilibus percipitur. Subtilis, & blandi ſimul cujuſdam ſalis genus reperitur in radice graminis. Paulo acrior eſt, & activior vis in ſale, qui ex combuſtis geniſtæ, & fabarum radicibus eruitur. Adhuc etiam activior perhibetur vis ſalis, qui ruſcho, eryngio, pimpinella, ſaxifraga, hononide, eupatorio, aſparago, capillo veneris, radicibus raparum, & floribus violarum, aliiſque ſimilibus continetur. At vero ex animalibus millepedes, & lumbrici terre-

ſtres

ſtres maximam vim habent ad ciendas urinas ratione fortaſſe ſubtilioris cujuſdam ſalis, quod nonnulli referunt ad nitroſum, quo tamen videtur longe penetrantior. Idem omnino præſtant cantharides, ſed urinarias vias adficiunt, & vehementem conſtantemque tenſionem excitant in organis, quæ generationi deſtinantur. Conchæ omnes ut perlarum, oſtrearum, ac præterea lapides, vel oculi cancrorum, lapides perlarum, teſtæ ovorum, cancrorum, limacum abundant ſale tum nitroſo, tum ſalſo, quibus urinam movent. Quod ſi acido aliquo vegetabili ex: gr. citri, aceti, vel alio ſimili ſaturentur, tunc vis contenti in iiſdem ſalis aliquantum infringitur, atque ex ea admiſtione genus quoddam ſalis medii componitur, quo excedens humorum motus compeſcitur, & urinæ fluxus idcirco promovetur.

In his autem omnibus nihil ſulphuris ſali admiſtum videtur. Sunt vero & alia diuretica, in quibus ſulphureæ partes ſalinis admiſtæ reperiuntur, ob eamque admiſtionem efficitur, ut diuretica illa calidorum diureticorum nomine vocari ſoleant. Hujus cenſus ſunt hedera terreſtris, veronica, radix apii, fœniculi, cerefolii, hypericon, ſemen dauci, gummi ammoniacum ſuccinatum, terebinthina, balſamus ex copayba &c.

Tandem emollientia, & lubricantia ad promovendam urinæ excretionem interdum valent, cum ſcilicet renum compages nimis adſtricta eſt. Talia ſunt althaea, malva, borrago, violaria, ſemen malvæ, peſillii, & mucilagines ex iiſdem confectæ, olea ex ſeminibus blandis, & præſertim ex amygdalis parata. Emulſiones etiam ex illis fa-

ctæ

ctæ inter medicamenta diuretica recenſeri poſſunt; quod convulſivas, & dolorificas renum, & veſicæ contractiones laxent, ac demulceant, atque ita urinæ ſubpreſſionem tollant. Balnea quoque, inunctiones, & hujuſmodi præſidia extrinſecus adhibita aptiſſima ſunt ad ſubpreſſum urinæ fluxum revocandum.

Diuretica generatim conveniunt, cum ſero imbutæ ſunt partes nervoſæ, aut lenta pituita infarcta vaſa, quod ſuadebunt ſubpreſſi ſerifluxus, facies pallida, frigus, mollities, temperamentum pituitoſum, adipſia, ætas puerilis, aut ſenilis, conſtitutio ſcrophuloſa, cachectica, conditio vitæ, qualis eſt lotricum, balneatorum, piſcatorum, coriariorum, & diſpoſitio hæreditaria.

CAPUT XVI.

DE DIAPHORETICIS, ET SUDORIFICIS.

Diaphoretica, & ſudorifica ea omnia dicuntur medicamenta, quæ vim habent ad ſeroſi liquidi guttulas effundendas, vel halituum copiam, ſive inſenſilem perſpirationem uberius movendam, ſcilicet determinatam materiam per ſudorem, aut inſenſilem perſpirationem de corpore eliminandam. Cum autem uberior hæc materiarum evacuatio haberi non poſſit, niſi ſimul intendatur hæmatoſis, illud conſequitur, eam eſſe diaphoreticorum, & ſudorificorum medicamentorum actionem,

ut

ut hæmatosim ipsam efficiant vividiorem. Sed intendi non potest hæmatosis, nisi major fiat phlogisticæ sanguinis materiæ evolutio, & acidæ partis regelatio; ergo diaphoretica, & sudorifica ea omnia dicenda erunt medicamenta, quæ facultate donantur materias illas regelandi. Diaphoretici igitur sunt sales omnes volatiles ex. gr. viperarum, sanguinis humani, cornu cervi &c. sales item fixi, & plantæ, quæ alkali abundant, ut scordium, carduus benedictus, aliæque amaricantes; hoc uno tamen discrimine, quod sales ad ciendas urinas, plantæ vero ob admisionem partium volatilium ad sudorem movendum aptiores esse videantur. Præterea alkalica, & quæ vulgo dicuntur absorbentia, ut lapis bezoar, oculi cancrorum, cornu cervi ustum philosophice præparatum, antimonium diaphoreticum, chelæ cancrorum, & hujusmodi testacea virtute pollent diaphoretica. Ita etiam sulphurea omnia, & oleosa destillata sudorificis adnumerantur; hujus autem generis sunt camphora, & plantæ, quæ subtili oleo abundant, ut aromaticæ. Pariter sudorifica virtute donantur lignum sassafras, salsa parilla, guajacum, radix chinæ, juniperus, ac demum potiones omnes calidæ copiosius adsumtæ.

Sudorifica generatim prosunt cum lenta pituita infarcta sunt vasa, & nervosæ partes imbutæ sero, quemadmodum supra diximus de diureticis. Ergo maxime conducunt in ostocopo a gummatis, hysteralgia ab sparganosi, ischiade syphilitico, arthritide, podagra, rachitide, & similibus morbis.

CA-

CAPUT XVII.

DE CETERIS EVACUANTIBUS.

INter evacuantia medicamenta, quæ hic nobis considerandа sunt, primo occurrunt expectorantia, quæ scilicet redundantes, & excrementitias pulmorum materias per arteriolas lymphaticas, & ductus adiposos e sanguineis canalibus evacuant. Horum autem nec unum est genus, nec una agendi ratio. Alia enim inlato pulmonum fibris stimulo, & vehementiori excitata tussi uberem materiæ viscidæ hærentis in bronchiis evacuationem promovent, cujusmodi sunt infusiones veronicæ, scordii, scabiosae, terra foliata tartari, gummi ammoniacum, myrrha, pulvis radicum enulæ, iridis florentinæ, oxymel scylliticum, & similia; Alia vero eidem materiæ tenuitatem, & acredinem, atque adeo stimulandi vim adimunt, & spasmodicam tollunt pulmonum contractionem. Talia sunt succus radicum liquiritiæ, florum violarum, malvæ, papaveris sylvestris, oleum amygdalarum dulcium, cremor lactis, papaver albus, pilulæ de styrace &c. Primi generis medicamenta præ ceteris conmendantur in asthmate humorali, & stomachico hydrotorace &c. secundi vero generis in rheumate cum tussi acri, sicca, dolore vivido, pyrexia, pervigilio &c.

Actio medicamentorum errhinorum evacuatio-

tionem scilicet mucosi seri ex membrana narium schenideriana promoventium inde repetenda est, quod membranæ illius canales aliquando laxent ita, ut sanguis uberius per laterales illius canaliculos, & porulos majorem secosæ, & mucosæ materiæ copiam emittant, quod præ ceteris præstat aqua, cui malva cocta fuerit, ex manu per nares adtracta alterne, & per os emissa, unde totum systema pituitosum laxatur, nec dolor capitis unquam excitatur. Aliquando vero canales illos invitant, ut propterea sanguis velocius excurrat, & uberem fundat ejusdem serosæ, & mucosæ materiæ quantitatem. Hujusmodi sunt majorana, thymus, satureja, summitates origani, flores laserpitii, sal volatilis ammoniacus, vitriolum album, pulvis euphorbii, hellebori albi, variæ species tabaci &c. Cum igitur hujusmodi medicamentorum ope pituita lenta incidatur, adtenuetur, & educatur, mucus tenaciter impactus fortiter excutiatur, & caput gravatum levetur, hinc est, ut hæc ipsa medicamenta in catharro, coryza, cephalalgia, vertigine, stupore sensuum, adfectibus soporosis, lipothymia, apoplexia, paralysi, dystocia, exturbando fetu in utero matris emortuo, secundinis tenacius ipsimet utero adhærentibus expellendis, aliisque gravissimis morbis conmodissime adhibeantur, ut *Hippocratis*, *Galeni*, *Hoffmanni*, aliorumque Medicorum auctoritate, & ratione ipsa confirmatur. De tabaco hic adnotabimus inmodicum illius usum a sapientissimis Medicis *Hoffmanno*, *Sennerto*, *Ettmullero*, *Schneidero*, *Nevmanno*, *Trillero*, aliisque multis damnari, cum inde gravissima mala, & pericula

me-

metuenda sint. Sævissimum morbum ab usu nimio tabaci hispanici inlatum refert Cl. *Trillerus*. Quamvis autem inmodicus illius usus unicuique obesse possit, maxime tamen nocet asthmaticis, plethoricis, hypocondriacis, melancholicis, natura siccioribus, & alvi adstritione laborantibus, sanguinem vel ore screantibus, vel nare reddentibus, epilepticis, cardialgia, & ardore stomachi adfectis, herniosis, phthisicis, tussiculosis, pulmonum, & oculorum vitio quocumque conflictatis, fœminis gravidis, & ad abortum proclivioribus, uteri demum, vel sedis procidentiæ obnoxiis.

Quoad medicamenta sialagoga; vel salivationem promoventia certum est non unam in illis esse operandi rationem. Alia quippe nimiam salivalium tubulorum contractionem, & spasmum infringunt, atque ita liberiorem efficiunt salivæ fluxum; alia eosdem tubulos stimulo adficiunt, quo major salivæ copia a sanguine promtius separatur, & majore celeritate per tubulos illos fluit, cujusmodi sunt radix pyrethri, imperatoriæ, folia tabaci, nitrum, sal gemma, alumen, piper, mastice &c. Alia demum viscosas sanguinis partes dissolvunt, & in materiam redigunt salivali fluido analogam, quæ proinde in glandulis salivalibus a sanguine uberius secernitur. Hujus generis sunt litus mercurialis, mercurius dulcis, turbith minerale, arcanum corallinum, æthyops mineralis, cinnabaris tum nativa, tum ex antimonio parata, & alia permulta.

Denique varium etiam, & multiplex est genus eorum medicamentorum, quæ evacuationem per menses excitant in fœminis. Hanc enim modo

do promovent quæ canales deobſtruunt; ut radices aperientes brionia, ariſtolochia, flores chryſanthemi, rhabarbarum &c. modo quæ vaſa laxant ſpaſmo conſtricta, ut millefolium, arthemiſia, crocus, caſtoreum, modo quæ ſanguini fluiditatem ſuam, & vaſculis uterinis tonum reſtituunt, ut aromatha, myrrha, roſmarinum, pulegium, ſabina, meliſſa, ſatureja, baccæ lauri, & juniperi, ſales volatiles oleoſi, limatura ferri, & omnia ex eodem metallo parata. Horum remediorum maximus eſt uſus in cephalalgia catameniali, palpitatione, gaſtrodynia, arthritide chlorotica, anaſarcate a ſubpreſſione, aſcite ab oppilatione, aurigine frigida ab obſtructione, pica chloroſantium, & ſimilibus.

CAPUT XVIII.

DE MEDICAMENTIS EX CHIRURGICO FONTE DESUMTIS.

Quæ infirmo corpori parantur præſidia ab opere manuum, ſive a chirurgia ſunt venæ ſectio, veſicatoria, cucurbitulæ, frictiones, hyrudines, fonticuli, ſetacea, ſinapiſmi, uſtiones, picationes &c. præterea repoſitiones oſſium, deligationes, inciſiones, ulcerum abſterſiones &c. Nobis vero ea dumtaxat opera manuum contemplanda proponimus, ex quibus peculiaris aliqua

mutatio in machinam animalem universam inducitur.

Primum itaque missio sanguinis, quam Græci phlebotomiam vocant, est venæ, vel arteriæ incisio, quæ vel ope lanceolæ, vel vi herudinum instituitur. Loca, per quæ mittitur sanguis, sunt venæ brachii, cephalica nimirum, media, & basilica, venæ manus salvatellæ dictæ, venæ linguæ, quæ vocantur rhaninæ, venæ pedum saphenæ vocitatæ, venæ sub poplite, quæ dicuntur popliteæ, venæ in extrema ora intestini recti positæ hæmorrhoidales nuncupatæ, venæ jugulares, vena frontalis, tandem arteriæ temporales &c. Varia autem præstat missio sanguinis in animali œconomia. Profecto si dum excedens sanguinis quantitas motui cordis, & arteriarum valide opponitur, atque adeo non levis resistentia progressivo motui ejusdem sanguinis objicitur, hujus quantitas per phlebotomiam minuatur, resistentia illa insigniter decrescat oportet, & facilius celeriusque cordis ventriculi contrahantur. Cum autem minor sanguinis moles revertatur in cor, & parcius idcirco ad singulas corporis partes ipsemet sanguis amandetur, mutua solidorum, & fluidorum pressio minuetur, laxantur solida, vasa omnia liberius, & intentius contrahuntur, major habetur ex celeriore cordis contractione pulsationum numerus, sanguis demum, si eadem vi protrudatur, facilius & velocius fluit in ratione inminutae resistentiæ. Plurima igitur conmoda pletoricis obvenient ex phlebotomia. Et I. quidem spasmodicæ contractiones tolli debent, & peculiares humorum secretiones expediri, atque adau-

geri.

geri. II. Ex inminuto ſanguinis volumine, & ex celeriori ejuſdem motu intenſior fieri hæmatoſis, ex majore vero adtenuatione inflammabilis ſubſtantiae ſanguinis augeri hujus liquidi fluiditas, & uberior nervei fluidi copia in nervos derivari, unde vitalis contractio, & robur ſingularum corporis partium intenditur, atque adeo vitioſa laxitas, debilitas, frigoris ſenſus, mentis languor, & alia hujuſmodi incommoda removentur. III. Ex aucta ſanguinis fluiditate lentores, & canalium ſanguineorum infarctus reſolvi, adeoque & profundior fieri reſpiratio. IV. Ex inminuta ſanguinis ipſius quantitate, proindeque ex ſublata minimorum canalium compreſſione, & ex intenſiori facta hæmatoſi urinæ fluxus promoveri, eademque fieri coloratio. Sane primus obſervavit *Hipp.* a ſectione venæ difficultatem urinæ ſolvi, ut docet aph. 46. ſect. 6. *Riverius* autem pluries obſervavit urinas, quæ ante phlebotomiam erant aqueæ, inſtituta phlebotomia coloratiores effluxiſſe. V. Ex liberiori, & celeriori reddita circulatione viſciditas, & cohærentia lympaticæ ſanguinis ſubſtantiæ reſolvi, & adtenuari, vaſorum infarctus proinde tolli, atque adeo liberior, & facilior fieri reſpiratio; ſiquidem vaſorum, vel bronchiorum infarctus a fluidis diverſæ viſcididatis retardat, aut minuit reſpirationem in ratione viſciditaris, ut oſtendit *Sauvageſius*. VI. demum ex velociori facta circulatione, & liberiori, ac profundiori reſpiratione, auctaque propterea hæmatoſi ſanguis in vaſis hærens evolvi, & regelari, atque inde recentis Chili regelatio promoveri, & nutriens humor uberius, & laudabilius parari, ex

relaxatione vero ſolidorum vaſa facilius repleri. Unde nil mirum, ſi incipientem corporis maciem interdum phlebotomia ſuſtulerit, corporiſque moles increſcat a miſſione ſanguinis, ut præ ceteris obſervarunt *Dodactus*, & *Jameſius*.

Quod ſi plethora fuerit ſpuria, quoniam miſſo ſanguine cordis vires infringuntur, minor utique fiet illius velocitas; hinc languidiori facta hæmathoſi parcior fiet evolutio materiæ inflammabilis, adeoque rarefactio ſanguinis minuetur, ſcilicet hic fluiditatem ſibi propriam adquiret, nimius corporis æſtus deferveſcet, fibrarum rigiditas, & contractio refrangetur, morbi tandem omnes, qui ex ſpumeo ſanguinis lentore profluunt, longius avertentur.

Ex dictis intelligitur quamlibet miſſionem ſanguinis vel ſimpliciter evacuatoriam eſſe, vel ſimul revulſivam, nunquam vero derivativam. Evacuatoria dicitur, quatenus fluidorum in vaſis humani corporis hoſpitantium molem inminuit, revulſiva, quatenus conjunctam habet aliorum vaſorum, ex quibus ſanguis exprimitur, conſtrinctionem, atque ita in vaſis ſic contractis minor eſt fluidi copia, quam ferat nativa eorumdem diameter.

Licet autem certum ſit ex demonſtratis phlebotomiam in pluribus caſibus maxime ſalutarem eſſe, eam tamen nonnulli tum ex veteribus, tum ex recentioribus Medicis, ut *Eraſiſtratus*, *Paracelſus*, *Van-Helmontius*, *Bontekoe*, aliique damnarunt utpote ancipitem, & periculoſam, in eaque ſententia fuerunt ſolam abſtinentiam minuendæ plethoræ ſufficere poſſe. Sed cum tenujores dumtaxat humores, non vero pars craſſa, & rubra ſanguinis,

quo

quo vasa distenduntur, excretionum ope minuantur, & humores omnes majorem ab abstinentia contrahant acrimoniam, statuendum est Medicorum illorum sententiam nullo sat valido inniti fundamento, & nihil phlebotomia valentius esse ad morbos generatim vel sanandos, vel prævertendos.

Scarificationes cum æquivaleant phlebotomiæ, quandoquidem illarum ope quantalibet copia sanguinis detrahi potest ejusdem ponderis, & consistentiæ cum eo, qui e venis educitur, quemadmodum certissimis experimentis innotuit, sequitur, ut ab illis ii omnes effectus produci debeant, qui a missione sanguinis proficiscuntur, tanto magis, quod ob stimulum nerveis canalibus, fibrisque cutis inlatum ab incisione, innumerabilium pene dixerim nervulorum contractiones cordis frequentius exserantur. Præclara in hanc rem habet *Celsus* lib. 2. cap. 11. Sic enim ait *Usus cucurbitulæ præcipuus est, ubi non in toto corpore, sed in parte aliqua vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est.* Adcedit quod cum ægri vires per scarificationes minus infirmentur, ex *Keilii* tentaminibus, hæ semper adhibendæ sunt in morbis acutis, quoties ægri vires phlebotomiam, & promtam sanguinis evacuationem pati non possunt; nam ut *Celsus* ibidem docet, *id auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum est; neque unquam periculosum est, etiam si in medio febris impetu, etiamsi in cruditate adhibetur; ideoque ubi sanguinem mitti opus est, si incisa vena præceps periculum est, aut nobili in parte corporis vitium est, etiamsi huc potius confugiendum est;*

cum eo tamen, ut sciamus, hic ut nullum periculum, ita levius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æque vehemens auxilium succurrere. Quæ sane præcepta cum experientia mirifice consentiunt. Sæpe enim adfectus capitis phlebotomia intendit, leniunt contra, minuuntque scarificationes; idque ex eo proficiscitur, quod sinus laterales duræ matris cito levent, ut docet magnus ævi nostri Profector.

Minor quoque est jactura virium ab hirudinibus, cum ex minimis arteriolis, & venulis sanguinem educant. Quod spectat ad medicamenta superius descripta phlebotomiæ repetitæ indicantur in morbis, quos induxerit plethora, quod judicatur ex pulsu forti, calore, rubore, levamine a phlebotomia, incremento morbi a crapula, a subpressis catameniis, phlebotomiis adsuetis, & retenta perspiratione, adeoque feliciter adhibentur in hæmatemesi, hæmorrhagia, cephalalgia, vertigine, colica, amaurosi, anæsthesia, epilepsia, paralysi, pleurodyne, ephemera, synocho plethorica, colica phlogistica, pyrosi a phlogosi, apoplexia sanguinea, asthmate plethorico, plethorico item ephialte, synocho sanguineo, hysteralgia ab sparganosi, ischuria nephropletorica, otalgia inflammatoria, angina, peripneumonia, pleuritide, aliisque morbis inflammatoriis. Cucurbitulæ vero scarificatæ magno usui sunt in morbis oculorum, aurium, amygdalarum, uvulæ, in apoplexia, & adfectibus comatosis. Denique insignis est hirudinum usus in hepatis inflammatione, & ecclampsia plethorica, & magnus etiam censetur in morbis hypocondriacis, si hæmorrhoidalibus vasis adponantur. At revocari in dubium potest, utrum hirudines

dines

dines in morbo hypocondriaco sanguinem educant ab adfecta parte, eamque proinde levent; quippe sanguinem exsugunt dumtaxat ex venis hæmorrhoidalibus externis, quæ nihil, vel parum communicant cum vasis intestinorum, mesenterii, & venæ portæ, ubi potissimum spasmodicarum hypocondriacarum adfectionum sedes est.

Vesicatoriorum usum in eo consistere arbitrantur nonnulli, quod serum educant e massa sanguinis, ejusque quantitatem inminuant. At si hæc sola esset actio, & virtus hujusmodi remediorum, illud consequeretur, ut iidem effectus produci etiam deberent ab æquali seri copia per urinam de corpore secedentis, quod tamen cum experientia minime consentit. Alii eorundem utilitatem exinde repetendam censuerunt, quod serum ipsum revellant a peculiari aliqua corporis parte, vel insigni organo, ubi excedens illius quantitas, & vitiosa qualitas molestiam, & noxam adferebat, obstructionemque, & inflammationem excitabat. Verum licet ita se res habere possit, non ideo tamen putandum est vesicatoriorum actionem hisce finibus contineri, sed ad sanguinem usque propagari demonstrat ratio. Et sane cum vesicatoria ex materiis componantur, quæ substantiam phlogisticam maxime regelatam indolis ammoniacalis acerrimæ complectuntur, eaque adtractionis vi in sanguinem advehatur, ejusque componentibus admisceatur, ut evincitur ex mictu cruento, quo nonnulli ex adplicatione cantharidum, aut vesicatoriorum tentari solent, illud fieri debet, ut homogeneas sanguinis substantias adtrahant, & quampiam in illis excitent solutionem, adeoque lympham, & crassa-

mentum vi caussæ morbosæ arctius cohærentia solvant, & adtenuent. Hanc autem solutionem, & adtenuationem adhuc majorem fieri deprehendes, si ad stimulum, & inritationem advertas, quam nerveis canaliculis inferunt vesicatoria. Cum enim stimulo illo elasticitas, & motus intendatur nervei fluidi, vibrationes cordis crebrius exserantur, fluidorum velocitas augeatur, fibrarum denique tonus roboretur, promoveri utique hinc debet sanguinei laticis solutio, & adtenuatio, ut alibi etiam docebamus. Neque hæc sanguinis adtenuatio, quæ a pulvere cantharidum proficiscitur, revocari in dubium ex eo potest, quod nullam vim dissolventem in ipsomet pulvere deprehenderit inlustris *Verattus*. Licet enim experimenta ab eodem instituta suo stent robore, scilicet revera a pulvere cantharidum sanguis rara serosi fluidi secretione concrescat, serum vero densius efficiatur, dum in quiescente fluido tentantur experimenta, non inde tamen sequitur, ut nulla sanguinis solutio, & adtenuatio subsequi debeat, etiam dum cantharidum pulvis circulanti liquido admiscetur.

Vesicantia optimo sæpe cum eventu in pluribus morbis adhibentur, sed præsertim in lethargo a febre, caro febricoso, apoplexia pituitosa, hemiplegia, & paralysi serosa, ophtalmia humida, pleuritide post subpressam sputationem, & in lenta variolarum eruptione, aut ab imbecilli natura nimis retardata; ea siquidem hoc stimulo cantharidum sic opportune adjuta ab ipso gravi variolosæ materiæ onere, quo jacebat oppressa, tandem feliciter liberatur.

Frictio-

Frictiones stagnantem sanguinem, aut lente circulantem admotum sollicitant versus cordis machinam, cujus proinde motus invalescit ita, ut sanguis ipse in omnia corporis vasa velocius urgeatur. Hinc hæmatosis vividius procedat necesse est, & vires vitales intendantur. Frictiones igitur ut & corporis succussiones maxime proderunt in nimia fibrarum debilitate, itemque in syncope a plethora, nimiaque cordi opposita resistentia, in cataphora, comate, præsertim si ad frictiones pannus laneus penetranti aliquo, & volatili liquido, ut vapore mastices impregnatus adhibeatur. In Syncope prodest etiam aqua frigida externæ cuti adspersa; per hanc siquidem adspersionem contrahuntur venæ, & contentum fluidum versus cor determinatur, quod proinde irritetur necesse est, moveatur, & vi contractum resistentem pulmonem agitet.

Quod adtinet ad cucurbitulas certum est tumorem partium, quibus illæ adplicantur, exinde oriri, quod ab inminuta aeris compressione auferatur æquilibrium resistentiæ in vasis cucurbitulæ subpositis, quæ proinde dilatantur, & humoribus replentur. Certe in vacuo Boyleano non alia de caussa tument animalia, quamquod pondus aeris suctione inminuti minus resistat vi fluidorum, quibus vasa corporis dilatantur, ut propterea vasa ipsa tunc peccent defectu æquilibrii. Cucurbitularum adpositione aut revellitur sanguis, aut eo adtrahitur, ubi adponuntur cucurbitulæ. In hunc finem præcipit *Hipp.* aph. 50. sect. 5. ut mulieri menses si quis cohibere velit, cucurbitam quam maximam ad mammas adponat. In eundem pariter

ter

ter finem cucurbitulæ pedibus, ſuris, coxis in hæmorrhagia narium, & in ſputo ſanguinis feliciter adplicantur. Adcedit, quod cum ex dilatatione, ſeu diſtractione vaſorum, & ſimul canalium nerveorum irritatio aliqua in illis excitetur, neceſſe eſt ut sanguinis motus per reliqua etiam vaſa celerius abſolvatur, ex quo plurima commoda in animalem æconomiam derivantur.

Similia fere dicas de fonticulis, ſetaceis, fuſtigationibus &c.

CAPUT XIX.

DE MEDICAMENTIS EX DIÆTETICO FONTE DESUMTIS.

De ratione, qua poculentis, & eſculentis uti debeamus ad morbos ab animali machina longius removendos in ſecunda inſtitutionum parte fuſe diſſeruimus. Supereſt igitur, ut nonnulla hic de cibo, & potu tanquam remedio in morbis adjiciamus. Itaque morbi omnes, ut alibi diximus, ad acutos, & chronicos revocantur, & utrique diverſam victus rationem expoſtulant. Præclara de ratione victus in acutis habent *Hipp.* & *Galen.* quos proinde adire debent tyrones Medici, ſeduloque evolvere. Generatim victus in acutis tenuis ſit oportet, vel etiam tenuiſſimus, is nempe, qui diverſis acutiei morbi gradibus reſpondeat, ne coctio materiæ morboſæ, atque adeo ſolutio morbi

bi aut retardetur, aut omnino etiam impediatur. Habeatur item oportet in alimentis exhibendis ratio temporis, quo morbus maxime viget. Et quidem, ut docet *Hipp. quibus ſtatim vigor eſt, his ſtatim tenuis victus exhibendus eſt, quibus vero vigor poſterius his ad illud, & paulo ante illud tempus, ſubtrahendus eſt. Antea vero mitius æger victu tractandus eſt, quo durare poſſit*. Habenda tamen eſt ratio temperamenti, conſuetudinis, aliarumque circumſtantiarum, ſed præſertim virium ægrotantis, cum revera virium cognitio permagni in medicina momenti ſit ad diætam, & remediorum præſertim vehementium uſum præſcribendum.

Potum vero quod adtinet cum in morbis acutis interdum ſanguis magnam contrahat viſciditatem, & lentorem inflammatorium, hæreatque proinde in aliqua corporis parte, ut evenit in morbis inflammatoriis, interdum vero fluida animalia magnam contrahant elaſticitatem vi ejus, quam concipiunt, inflammationis, quin tamen hæreant in vaſis, ut potiſſimum contingit in febribus ardentibus, ita in priore caſu maxime proderit nitroſis uti, aliisque potionibus diluentibus, & lentorem illum noxium incidentibus, in altero autem adhibere potum ex acidi vegetabilibus, & mitioribus mineralibus paratum, quo uno & refrigerari corpus, & excedens fluidorum rareſcentia, & elaſticitas infringi poſſit. Illud etiam contingit in morbis itidem acutis, ut corporis, & præſertim cordis vires ſupra modum langueant, torpeantque, & ea inſuper fiat humorum conſtitutio, ut in viſceribus nobilioribus cumulentur, hæreantque, & inflammationes in illis excitent maxime periculo-

ſas

ſas, ut adcidit in febribus malignis, in quibus parum, vel nihil recedere pulſus a naturali ſtatu percipitur, ſi aliqua illius debilitas excipiatur. Hoc autem in caſu ea exhibenda ſunt eſculenta, & poculenta, quæ aliquantulum nutriant, conroborent, exſtimulent, ut jacentes vires quantum fieri poteſt intendantur. Ad nutriendum igitur præſcribi poterunt ejus indolis alimenta, quæ facile digerantur, ut decoctiones avenæ, hordei, juſcula animalium juniorum, quibus, juxta methodum Cl. *Hænii*, addi poteſt ſuccus malorum citreorum, aut cremor tartari. Ad conroborandum vero nihil opportunius eſſe poteſt aliqua, ſed plurimum diluta vini portione. Denique ad exſtimulandum maxime proderit decoctiones hordei cum adfuſo melle, & cardiaca, & decocta ex radicibus, & plantis aromaticis exhibere, tanto magis quod obſervante *Pringlio* ſubſtantiæ aromaticæ antiſeptica virtute donentur.

In ceteris vero morbis acutis, in quibus diverſa eſt ſolidorum conſtitutio, diverſo etiam modo ſe gerat Medicus neceſſe eſt relate ad cibum, & potum. Ita ſi ſolida laxiora fuerint, quam poſtulare videatur ſtatus naturalis, utique cibus, & potus ejus eſſe debent naturæ, ut eorundem elaterem intendant. Si vero ultra modum tenſa ſint, & criſpata, ea præſcribenda ſunt eſculenta, & poculenta, quibus excedens illa tenſio, & criſpatura retundatur.

Ut autem nonnulla & de chronicis morbis diſſeramus, animadvertendum eſt ex illis alios ab humorum viſciditate, & cruditate, ſimulque morboſa ſolidarum partium laxitate proficiſci, ut evenit

nit in morbis cachecticis, in quibus lente procedit hæmatosis, materia aquea plurimum abundat, & insignis adest solidorum atonia, oriri autem alios a putrida, & conrodente eorundem humorum indole, & constitutione, cui vitiosa solidorum omnium tensio, & crispatura conjungitur, ut in phthisibus observatur. In iis enim putrida quædam solutio, auctusque fluidorum motus ex validiori stimulo, quo cordis machina sollicitatur, acrem facit, & conrodentem fluidorum ipsorum indolem, sudores autem uberes, & conliquativi inditam solidis mollitiem destruunt. Quæ cum ita sint, illud consequitur, in priore morborum genere eam victus rationem tenendam esse, qua & intendatur hæmatosis, & motus nobiliorum organorum vividius excitentur, adeoque substantiis animalibus, aromaticis, & martialibus moderate inhærendum. Animales enim substantiæ sale suo ammoniacali solidas partes, ac præsertim cordis machinam exstimulant, proindeque in crebriores, intensioresque contractiones adigunt. Hinc fluidorum circuitus sollicitatur, sanctoriana perspiratio promovetur, & quantitas præsertim augetur secretionis urinæ, quibus sane omnibus fieri debet, ut sanguis nimiam exuat aqueæ materiæ copiam, & solida humore aqueo minus turgentia nativæ elasticitati roborique restituantur. Aromata vero & martialia utpote quæ phlogistica substantia donantur maxime regelata, plurimum valent ad phlogisticam, ut alibi diximus, partem sanguinis evolvendam regelandamve, & solida corporis exstimulanda, atque ad vividiores contractiones sollicitanda. Cavendum autem erit ab alimentis crassis

fis, & farinofis, ut & ab iis omnibus, quæ difficile digeruntur.

In altero autem morborum genere ea exhibenda remedia sunt, quæ refrigerante acido plurimum abundant, ut & procedens putrefactio prævertatur, & morbosa salium volatilium indoles conrigatur, cujus generis sunt lac, serum, potus subacidi, vegetabilia, quæ materiam acidam continent plurimum regelatam, cremores orizæ, juscula ex ranis, testudinibus, omnia denique gelatinosa, & mucilaginosa, ut nutritio, quam recentis chyli conruptio, aut secessus ipsius de corpore retardat, vel impedit, aliquo modo promoveatur. Et quidem in hectica humorum resolutione gelatinas cum amygdalis dulcibus pararas, & mucilagines aliquoties in die adsumtas plus profuisse compertum est, quam cetera remedia, quatenus non solum nutriunt, & incrassant, sed & viscera constricta relaxant; adeo verum est respiciendum semper esse ad solidas partes, ubi de conrigenda fluidorum indole cogitamus.

Quod si chronici morbi vel a tumore aliquo carcinomatoso, vel ab alicujus organi læsione profluxerint, tunc apto vitæ regimini, scilicet morbosæ caussæ contrario insistendum est. Sic ex. gr. in tumore carcinomatoso inhærendum erit victui vegetabili, quo salium alkalinorum conrodens natura, & simul putrida fluidorum indoles retundatur. At in læsionibus organicis præsertim in aneurismate cordis, & præcordiorum maxime proderit lactariis vesci, & substantiis vegetabilibus, atque iis præcipue, quæ minimum habent salis acidi, aut alkalini, & a substantiis animalibus, vino

no, aromatibus, & similibus abstinere; uno verbo mitis, tenuisque victus rationem sequi, quo nec rarefiant humores, nec eorundem circuitus adceleretur, nec machina cordis exstimuletur.

CAPUT XX.

DE CAUTIONIBUS IN USU MEDICAMENTORUM ADHIBENDIS.

UT via ad medicinam rite faciendam, sive ad medicamenta iis, quibus decet, cautionibus exhibenda muniatur, retractanda nonnulla sunt, quæ supra de viribus medicamentorum adtulimus. Atque ut a resolventibus exordiamur, illud monuisse juverit cautione opus esse in eorum delectu; siquidem & ad caussam spissitudinis respiciendum est, & ad temperiem ægrotantis; quippe quæ certa quædam fert genera resolventium, non item alia. Si igitur acidum exuberans humores cogat, densetque, maxime opportuna erunt alkalina. Si eorum constitutio pinguis sit & glutinosa, exhiberi cum fructu poterunt saponacea, si mucosa, & iners, salina præsertim convenient. Si coagulum inflammatorium cogat humores, nitrosa opportune cedent, & succi plantarum saponacearum. Fieri etiam potest, ut humorum spissitudo a plethora proficiscatur, ut contingit in subpressis sanguifluxibus; hoc autem casu curationis initium a venæ sectione desumatur. Illud vero tenendum est exstimulan-

mulantia adhiberi tuto non posse, nisi præmissis iis, quibus humores ad fluendum disponantur; secus enim infarctus, concretiones, vasorum rupturæ, & similia consequuntur. Resoluti autem humores crassiores cum impuritates ut plurimum deponant, hinc est, ut habenda cura sit de iisdem e corpore eliminandis. Cum autem per vias omnium convenientissimas eliminari debeant, & quæ ipsarum naturæ maxime adcomodentur, idcirco præstat resolventibus nunc purgantia, nunc diuretica, nunc diaphoretica copulare.

Caute etiam procedendum in usu laxantium, & emollientium. Fieri enim potest, ut ab iterata illorum adplicatione pars adfecta ita laxetur, ut ejus tandem infringatur tonus, atque ita gravior morbus inferatur. Certum enim est partium atoniam difficilius tolli, quam rigiditatem. Adde, quod generatim major fiat adfluxus humorum ad partes relaxatas, atque inde plurimum mali consequatur. Multum autem refert in curatione tumorum resolventia cum emollientibus copulare, ut materia fibras infarciens citius dissipetur. Quod si emollientibus extrinsecus adpositis interna resolventia conjunxeris, tumores citius, & facilius dissipari comperies.

In usu adstringentium caute procedat Medicus necesse est, atque ad indolem præsertim fluidorum, aliarumque partium constitutionem sedulo respiciat. Sæpe enim humores proclives sunt ad rarescendum, quo sane casu prodesse non possunt adstringentia, sed ea tantummodo, quæ valent ad ebullitionem humorum refrænandam; secus enim vehementes, subitæque metastases fiunt ad alias

partes

partes, congestionesque, & infarctus procreantur. Quod si pars aliqua infirmior sit, quam postulat status naturalis, cavendum est, ne dum aliis robur addere nitimur, in eam impetum faciamus.

Cum ab opiatis lædantur functiones stomachi, & adpetitus destruatur, testantibus *Willisio*, & *Trallesio*, sequitur hujusmodi remedia præscribenda nunquam esse, nisi in casibus extremis, ut docent *Celsus*, & idem *Trallesius* & post primarum viarum expurgationem, ne cardialgiæ, & nauseæ subsequantur. Caute insuper exhibeantur in morbis convulsivis, hystericis, & hypocondriacis; licet enim violentos motus refrænent, simul tamen secretiones cohibent, cumulantque proinde materias impuras; unde effectu remedii cessante vehementiores excitantur paroxysmi. Præterea cum a narcoticis subprimantur evacuationes, & naturæ conatus suspendantur, statim patet abstinendum plane esse a narcoticis, cum evacuationes, & naturæ conatus necessarii sunt. Ab iis etiam, ut & ab opiatis abstinendum, dum motus jam languent. Postremo cum dolores interni gravativi capitis, aurium, oculorum sæpe profluant ab infarctu, metus est, ne exhibito narcotico, quo sanguis supra modum resolvitur, cephalalgiam consequatur delitium, sopor, aliudve malum ipso dolore periculosius. Caute igitur illis utendum in hujusmodi morbis, ut & apud vetulos, paralyticos, similesque ægrotantes in soporem facile delapsuros. Sed & narcotica topica non sine periculo nervorum origini propius admoventur, ut docet experientia; sic daturæ folia oculis admota amautosim, & my-

driasim excitant, quare in illorum usu caute procedendum.

In administratione purgantium caute se gerat Medicus oportet, & ad indolem morbi, vires ægrotantis, temperamentum, habitum corporis, ætatem, sexum, consuetudinem, dispositionem ad certos morbos, anni tempus, aeris qualitates, & ad alia respiciat. Morbi enim acuti, & ad inflammationem tendentes purgationem omnem respuunt, & leniens tantum aliquod in nonnullis casibus sub initium admittunt, cum scilicet magnus est humorum adparatus in primis viis, & metus est, ne massam sanguinis subeuntes malum augeant. Raro autem id faciendum est; siquidem tunc solum faciendum, cum materia turget, quod tamen haud crebro adcidit, ut docet *Hipp.* Purgationem etiam prohibent vires fractæ, & fluxus menstruorum, atque lochiorum; gravidis vero non tam facile exhibenda sunt remedia, quæ stimulum inferre valeant. Quod si earum expedienda sit alvus, utique nonnisi per medicamenta blandissima expediri debet. In grandioribus autem fetibus cautissime se gerat Medicus necesse est, ubique sane propter metum abortionis. Qui graciles sunt, vel contra nimium obesi minus purgationem ferunt, quam qui mediocri sunt habitu. Item qui sanguineum, aut biliosum a natura sortiti sunt temperamentum magis læduntur a purgantibus, quam qui phlegmatico donantur temperamento. Senibus, & infantibus blanda tantum laxantia præscribantur, si primarum viarum sordes fuerint expurgandæ, lactantes vero pharmaco nutrici exhibito illud cavendo, ne ab ipso nutrix aliquid detrimenti ca-

piat

piat. Ætas media alacrius fert purgationem, ut & ſexus virilis præ fœmineo; quin purgantia præſertim crebrius adſumta peſſime adficere ſolent fœminas,& interdum etiam in illis hyſtericum morbum excitare. Sedulo autem perſpiciendum eſt quibus adfectionibus obnoxius ſit æger, de quo purgando cogitamus. Si enimvero proclivis fuerit ad tabem, exſolutionem virium, defectiones animi, fluxus alvi, hæmorrhoides, dolores colicos, hypocondriorum contractiones, alioſque convulſivos morbos, ab omni purgatione abſtinendum eſt. Magna vero cum cautione tractandi ſunt qui pravis veſcuntur alimentis, & qui pertinaci ventris adſtrictione laborant, ſcilicet emollientibus tantum, aut leniter laxantibus curandi ſunt; ſæpe enim ab uſu purgantium ita exaſperantur, inritantur, contrahuntur inteſtina, ut inde potius tormina, & convulſiones, quam cupita purgatio conſequatur. Ex anni temporibus adprime utilis eſt purgationi tempeſtas verna, & autumnalis, ut conligitur ex aph. 5. ſect. 4., & 47. 6. & ſi fieri poſſit, auſtrino potius die, quam aquilonio inſtituenda purgatio eſt, ut monet *Riverius*. Habenda etiam eſt ratio regionum in purgantibus exhibendis; qui enim regiones incolunt hyperboreas parum, vel nihil a purgantibus ut ut vehementiſſimis adficiuntur, quæ tamen nobis, quibus mitiora tantum pharmaca conveniunt, magno forent detrimento; adeo verum eſt quod ſcripſit *Celſus*, videlicet differre pro natura locorum genera medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Galiis. Idem dicas de iis, qui robuſtiore corporis habitu donati ſunt, & craſſis veſcuntur alimentis. Tempus ad

pur-

purgationem seligendum sit tempus intermissionis, aut remissionis in morbis intermittentibus, ac remittentibus, ne in paroxysmo præter laborem, quem creat morbus, ulterius etiam a medicamento stimulum inferente irritetur natura. Quod ad chronicos morbos adtinet, plurimi sunt, in quibus maxime conducit sub initium purgans pharmacum exhibere, tum ut pars vitiosi humoris, & primas fortasse vias obsidentis educatur, tum ut his expurgatis cetera remedia efficacius operentur, tum etiam ut ex inlato stimulo pars aliqua, quam vitiosa materies gravat, relevetur, quod postremum præcipue locum habet in capitis adfectionibus. Illud autem præ ceteris curandum est, ut eliminandus humor rite præparatus sit, & viæ, per quas eliminari debet, expeditæ. Primum preficitur adtenuantibus, & incidentibus potionibus, si noxius humor viscidus fuerit, & crassus; diluentibus, si nimium tenuis, & acer; conrigentibus demum, si nativa illius qualitas inmutetur, quod pharmacum ipsum præstare interdum solet, si conditioni peccantis humoris adcomodetur; postremum vero obtinetur laxantibus, & lubricantibus præmissis etiam clysteribus, si alvus fuerit obstinate adstricta. Illud denique observandum est experientia compertum esse certos quosdam humores per pharmaca quædam peculiaria conmodius educi, ob peculiarem in sanguine excitatam solutionem, & certos quosdam adfectus per certa quædam purgantia, quam per alia tutius, & facilius sanari. Sed hæc innotescent ex praxi. Cautione etiam opus est in clysteribus exhibendis; si enim adsit exsolutio virium, si sudor præsens sit, aut instet, si mu-

lier

lier gravida proclivis sit ad abortum &c. ab illis abstinendum omnino est.

Cautione pariter opus est in emeticis exhibendis; ab iis enim abstinendum in prava corporis dispositione, in qua scilicet metus est, ne rumpantur vasa, aut humores in certa loca impetum faciant, aut alicubi stagnent &c. Sic periculosum est obesis, & plethoricis emeticum propinare, illis quidem ob angustiam vasorum, his vero ob plethoram, & rupturæ metum. Item iis, qui sunt valde inritabiles, & convulsionibus, & hæmorrhagiis tentari solent, qui capite, & oculis parum valent, qui natura abhorrent a vomitu, qui collo sunt nimis brevi, aut nimis longo, qui denique thorace sunt angusto; in his enim difficilis est respiratio, & via a stomacho ad os nimium longa. Sunt denique nonnulli morbi, aut ad certos quosdam morbos dispositiones, in quibus ab emetico metuendum est; hujusmodi sunt phthises, hemopthyses, graviditas ob metum abortionis, procidentiæ quæcumque, inveterati viscerum tumores, adfectiones hystericæ, aut hypocondriacæ, oculorum morbi præsertim inflammantorii, & similia. Quod ad rectum spectat emeticorum usum maxime proderit ægri corpus rite præparare, vias nempe liberas, & patentes reddere, & materiam evacuandam mobilem efficere, quod quidem obtinetur adtenuantibus, & incidentibus, vel diluentibus copiose adsumtis. Ad emeticum autem tutius exhibendum plurimum faciet sanguinea vasa mature deplere, si corpus nimis plethoricum, carnosum, & robustum fuerit.

In usu diureticorum nonnulla se obferunt observanda, natura scilicet, peculiaris ægri constitutio, morbus, ejusque tempora, organa demum urinam secernentia. Primum quod spectat, biliosa, ut & melancholica temperamenta diureticorum usum haud impune ferunt. Ab his enim illorum corpora magis ac magis exsiccantur, & stimulus additur fibroso generi, quo sane stimulo facilius in spasmodicas contractiones adigitur, ut proinde satius sit ad mitiora acida, nitrosa, & emollientia confugere, quoties educenda est urina in ægro biliosæ constitutionis. Præterea quibus per diaphoresim, aut aliam evacuationem magna vis humorum absumta est, a diureticis abstinendum est, aut ea saltem ingerenda multo cum vehiculo copulata, ne nimium siccescant. Antequam vero fiat usus diureticorum viæ omnes, & præsertim urinariæ expediendæ sunt, & expurgandæ; quod si fieri non possit, tunc a diureticis, & quidem vehementioribus abstinere præstat. Hinc impacto renibus, aut ureteribus calculo, iisdemve spasmodica contractione laborantibus vitentur diuretica acriora, eaque in primis, quæ ad frangendum, pellendumque calculum præscribi solent, ne lethales ischuriæ, quod sæpe contingit, excitentur; & solis emollientibus, & lubricantibus insistatur. Abstinendum pariter a fortioribus diureticis, si aliqua sit ad mictum cruentum proclivitas; & in urinæ subpressione, quæ ab excedente sanguinis mole profluxerit, vena pedis incidatur.

De sudorificis illud observasse juverit, quod ubi Medicus de sudore eliciendo cogitat, remedium adcomodet necesse est ad ægri temperiem,

&

& ſanguinis conſtitutionem. In primis vero illud præ oculis habeat, ac præcipue in morbis acutis, ut non prius exhibeat ſudorifica, quam materia ad excretionem fuerit præparata. Cunctandum igitur, donec ſigna coctionis adpareant, vel arte procuranda coctio eſt; ſi enim adhuc cruda exiſtente materia exhibeantur ſudorifica, & præſertim validiora, hæc utique ſudorem nihil conferentem ſummo cum ægrotantis incommodo elicient. Potius igitur inhærendum præparantibus, iiſque calidæ, copioſæque potiones adjiciendæ, ut ſanguis, & ſolidæ partes ad optatam ſecretionem diſponantur. Quod ſi ſoluta nimium fuerit maſſa ſanguinis, ut proinde ſudor moveri non poſſit, quod in nonnullis febribus malignis, aliiſque morbis adfinibus contingit, tunc vitanda sunt ſudorifica, ne eorum uſu adhuc magis ſolvatur ſanguis, & ad medicamenta moderate acida, & blande adſtringentia confugiendum eſt, quibus ſua ſanguini conſiſtentia reſtituatur, ejuſque partes heterogeneæ, ac vitioſæ facilius hac ratione ſecernantur.

De phlebotomia adnotabimus eidem nonnullis in caſibus parcendum eſſe, ac præſertim dum adeſt virium languor; quare expendendum eſt ſedulo, num vires conſtent, num vero reipſa deficiant, quod noſcitur ab excedentibus evacuationibus, vel a putrida humorum ſolutione, vel corruptione materiæ præcordiis adhærentis, aut contra ex nimia plenitudine veluti ſubfocentur, atque adeo earum oppreſſio ſit tantum adparens, & a plethora, & rarefactione excitata. In primo, & tertio caſu convenit phlebotomia, in ſecundo non convenit. Itaque cum in fœminis utero gerenti-

bus vires plerumque ex nimia ſanguinis quantitate ſubfocentur, præſtat in ipſis ſanguinem mittere quarto decurrente geſtationis menſe per venas ſuperiores ea quantitate, quam vires ferant. A phlebotomia pariter abſtinendum in fœminis cum inſtant catamenia, vel actu fluunt, dummodo non ſint inmodica, quo caſu ſanguinis miſſio celebranda foret per venas manus, vel brachii, quæ pariter lex valet in viris, qui ſtatas periodicas evacuationes patiuntur per venas hæmorrhoidales ad inſtar fœminarum. At in puerperis ſi quidem maneant lochia, etſi non adſit plethora, inſtituenda tamen eſt miſſio ſanguinis per ſaphenas, per quas pariter ſanguinem mittere convenit, ſi partus plus juſto producatur, vel ſecundæ detineantur. Sunt præterea nonnulli morbi, ut febres varioloſæ, & morbilloſæ, in quibus acriter diſputatum eſt, utrum phlebotomia conveniat, nec ne. Statuunt ſaniores Practici in ſubjectis cacochymis, frigidis, junioribus phlebotomiæ parcendum, præſertim ſi perbenigna fuerit epidemia; at in plethoricis, calidis, ſymtomatis urgentibus, ſæviente febre, & lentius procedente eruptione miſſionem ſanguinis quantocyus celebrandam, & ultra duas etiam vices repetendam. Pariter in malignis diſcretis, etſi eruptio jam facta ſit, cum advocatur Medicus, tamen phlebotomiam e pede bis inſtituendam; item in diſcretis malignis, & confluentibus mittendum ſanguinem ante eruptionem ſemel, aut etiam pluries, & quidem liberalius in adultis; ſecandam quoque venam pedis inlico, & bis inſequentibus diebus iterandam, ſi opus fuerit, phlebotomiam, ſi decima die amphimerina ſecundaria cum in-

quie-

quietudine, jactatione, ortopnœa, ceterisque symtomatis efferetur. In caro item varioloso, & hematuria pariter variolosa indicatur phlebotomia, ut & in rubeola, si populis evanescentibus febris, dyspnœa, & peripneumonia superveniant. Idem præstandum in febre miliari *Sydenhamii*, & in miliari sudatoria. Sed in omnibus stat dogma gravissimum *Celsi* lib. 2. cap. 10. scilicet *sanguinem incisa vena mitti novum non est; sed nullum pene morbum esse, in quo non mittatur, novum est*.

De vesicantibus obiter adnotabimus maxima in iisdem præscribendis cautione, & acuto in primis Medici judicio opus esse, ne scilicet ubique, ac sine discrimine in omnibus morbis, ut vertigine, epilepsia, melancholia, artuum tremore, febribus comatosis, inflammatoriis, & convulsivis pectoris adfectibus, diarrhœa, vomitu, ischuria, lue venerea, capitis vulneribus, aliisque similibus morbis minus tempestive adhibeantur, præsertim vero in spasmis, & convulsionibus aut præsentibus, aut instantibus; in his enim omnibus non raro noxius observatur illorum usus, ut testantur *Pacchionius*, & *Trillerus*.

Denique administrationem victus quod adtinet observandum est eundem nunquam exhibendum esse in paroxysmis morborum, ut sapienter monet *Hipp.* aph. 11. sect. 1. sed in illorum declinatione, aut saltem tempore majoris remissionis, & quietis. Idem dictum esto de medicamentis.

CAPUT XXI.

DE RATIONE DETEGENDI MORBI.

UT in curatione dati morbi feliciter procedat Medicus, primum omnium requiritur, ut morbum ipſum, quin & ejusdem ſpeciem inveſtiget, detegatque. In hunc finem integras omnium, ac ſingulorum morborum hiſtorias ex adcuratis, intaminatisque Practicorum obſervationibus adornatas teneat neceſſe eſt, quandoquidem cognitio morborum univerſa ſingulorum morborum nititur hiſtoriis. *Si morbi cujuſlibet hiſtoriam, ſapientiſſime ajebat Sydenhamius, perſpectam haberem, par malo remedium nunquam non ſcirem adferre, variis ejuſdem phænomenis viam, qua mihi incedendum foret, haud dubium præmonſtrantibus*. Optabat igitur, ut morbi omnes ad definitas, ac certas ſpecies revocarentur eadem prorſus diligentia, & acribeja, qua id factum videtur a Botanicis in ſuis phyſiologiis; quippe etenim reperiuntur morbi, qui ſub eodem genere, & nomenclatura redacti, & quoad nonnulla ſymtomata ſibi invicem ſimiles, tamen & eſſentia inter ſe diverſi, diverſum etiam medendi modum expoſtulant. Id cum egregie præſtitum fuerit a ſummo Viro, & inmortali *Franciſco Sauvageſio* in ſua noſologia methodica, qua morborum claſſes, genera, & ſpecies adcuratiſſime deſcribuntur, illud nobis lætandum venit, quod patefacta via ſit, per quam ingredi tuto poſſimus ad mor-

borum

borum adsequendam cognitionem, atque adeo ad praxim feliciter exercendam. Hac itaque præeunte face postquam lecto adsidens Medicus ex *Hipp.* præcepto interrogavit ægrum quid mali persentiat, quot jam diebus excrucietur, a qua caussa, num dejecerit, quibus alimentis usus sit, quo pertinent & effectus medicamentorum, & postquam ægri pulsum adtentissime exploravit, sedulo expendat oportet in ægrotante ipso quænam sint præcipua symtomata, de quibus ille conqueritur. Si enimvero constantia illa fuerint, & ultra morbi initium perseverent, characterem ipsius morbi constituunt; quippe ut docet *Sydenhamius*, & ratio suadet, characteres morbi ex symtomatibus eruendi sunt.

At vero cum ex symtomatibus alia morbis acutis, alia vero chronicis conmunia sint, hinc est, ut illis adhærendum non sit, sed ulterius procedendum. Sic observante Illustrissimo *Sauvagesio* cum lassitudo spontanea, *cacositia*, mœror, debilitas, consueti laboris aversatio, rigor, & horror, capitis gravitas morbos febriles inflammatorios, dolorificos, acutos, evacuatorios indiscriminatim enuncient, exinde est, ut in præludio morbi genus non ita facile distinguatur; tunc autem a symtomatibus præcipuis desumuntur indicationes, & præscribuntur auxilia generalia, ut diæta tenuis, quies, venæ sectio, juladia, usquequo symtomata pathognomonica quæsitum morbum prodiderint.

Ubi vero symtomatum graviorum inventa fuerit combinatio, sponte, ut ita dicam, se se obfert classis, & ordo, quo morbus referri debet. Quod si hujus genera inter se mutuo conferantur, comparatio hæc ad genus dati morbi facile

cile perducet. Mulier, sic pergit prælaudatus Auctor, humi strata inventa est sensus omnis motusque voluntarii expers, cum pulsu pleno, molli, respiratione stertorosa, & profundi soporis specie. Quisque in classium, & ordinum characteribus versatus morbi classem, hujusque ordinem, qui comatosos, seu soporosos morbos continet, statim adibit; dein vero quoniam hic morbus inter decem hujus generis ordines reperiundus est, singula genera debent examini subjici, atque ex soporis altitudine, stertore, & omnium artuum flexibilitate ægrum apoplexia laborare facile comperiet. Sed cum apoplexiæ plures sint species, reliquum est, ut Medicus inquirat, num ex lapsu, ictu, vel cranii fractura, commotione; num vero ex cacochylia febrilem capitis infarctum excitante, num ex plethora commota &c. hæc apoplexiæ species orta fuerit, quod ex sedula capitis derasi, & manibus contrectati, linguæ, faciei, circumstantiarum inspectione, & sagaci adstantium interrogatione, ac demum ingeniosa caussarum, & principiorum conjectura comperiet, & sic quæsitam morbi speciem tuto, ac facile determinabit.

Quoniam vero superius de pulsu mentionem injecimus, innuisse juverit hoc loco nonnullas leges in explorando, dijudicandoque pulsu sartas tectas servandas esse, quarum quidem aliæ ad Medicum pertinent, aliæ respiciunt ægrum. Medicus itaque pulsum exploraturus ad arteriam carpi digitos admoveat, sensibile tempus impendat in pulsu examinando, quo certius de singulis ejusdem adfectionibus dijudicare possit, exquisitissimi sit tactus, mollem habeat manum, præsertim in

api-

apicibus digitorum, & temperate calidam, aliquandiu vero quiescat a motu, antequam ad explorandum pulsum adcedat, ne forte tribuat ægro quod in se sentit. Tres, aut quatuor digitos primo leniter adplicet arteriæ, mox digitos ipsos, deprimat aliquantulum, & quidem æqualiter, cum ex ea compressione pulsus resistentia patefiat; deinde adhuc altius digitos adigat, imprimatque, ut arteriæ contractionem tutius exploret, magnitudinemque antecedentis distractionis, quoad ejus fieri potest, percipiat. Tandem cum arteriæ ante carpum divisæ minor ramus per consuetum explorationis locum porrigatur, major autem alio excurrat, hinc arteriam utriusque carpi exploret necesse est, idque non semel tantum, sed iterato etiam, quò facilius, ac tutius valeat ad singulas quasque differentias pulsuum percipiendas. Illud tandem cavere debet Medicus ne sub ipso ad ægrum adcessu pulsum exploret; sæpe namque ad Medici adventum turbatur æger, & vel spe, vel timore conmovetur, & pulsus insigniter mutatur. Et quidem nullus est inter Medicos, qui pluries pluriesque non observaverit debilem ægri pulsum, & languidum ab hilari adspectu Medici, verbisque salutem nuntiantibus statim erigi, & roborari, contra vero ab ejusdem tristi quodam silentio demitti.

Aeger autem ab omni corporis animique motu plane quietus sit oportet, atque ubi pulsum obfert exploranti Medico manum supra pectus molliter reclinet, & digitos habeat extensos; Præ ceteris caveat a nimia respiratione, digitorum flexionibus, aut distentionibus, aliisque pluribus,

quæ

quæ alibi adtigimus. Hæc enim omnia cum non parum variare pulsum possint, possunt idcirco explorantem Medicum in errores adducere.

CAPUT XXII.

DE GENERALIBUS QUIBUSDAM REGULIS IN CURATIONE MORBORUM DILIGENTER OBSERVANDIS.

UT tyroni Medico ad praxim adcedenti via aliqua patefiat, per quam ingredi possit ad tractationem morborum instituendam, generales hasce regulas adjicimus, quas *Hipp.* & *Galen.* ceterique artis medicæ principes longo usu confirmarunt. Harum prima ita se habet. *Contraria contrariis curato;* scilicet non iis, quæ præsenti morbo contraria opponuntur, ut docet *Hallerus*, sed iis medicamentis, quorum effectus in futurum caussæ morbi contrarius est. Eliguntur autem præsidia contraria, si prius caussa morbifica recte cognoscatur, & caussæ a principiis destinguantur.

Secunda lex ita jubet. *Si morbi species ignoretur, ut interdum contingit, indicationem ab juvantibus, & lædentibus desumito.* Et quidem non alia potiori ratione ægrotum in tuto conlocare potest Medicus, quam paulatim prætentando, dummodo ne plus satis properet, cum revera observante *Sydenhamio* nihil quidquam exitialius esse possit ea festinatione, nec ulla re alia febricitantium plures vita spolientur. Ter-

Tertia lex ita sancit. *Morborum curationes ne per vim adgreditor, vel evacuationes molitor, sed successive, & paulatim agito, & tempus expectato.* Hujusmodi lex præsertim locum habet in morbis acutis; in his enim cunctandum, & naturæ finis, tendentia, & conatus investigandi, seduloque observandi, nec interea medicamenta turbantia interponenda. Natura enim undique a proprio corpore auxilium petendo, & omnia in consensum trahendo morbos curat, eademque non stimulata monstrat medentibus qua via sit eundum. Sapienter in hanc rem *Boerhaavius*, *Omnis Medici scientia, omnis, inquam, doctrina nititur solius naturæ. Hanc sedulo observet ille erudientem Magistram, infelix ubi tumidus se effert, quasi suo ex promptuario nata hic cognitione saperet.*

Quarta lex ita est. *Quo natura vergit, eo ducito per loca convenientiora.* Natura autem, quam non sine ratione autodidacton, & doctam sine Magistro dixit *Hipp.* morbificam materiam plerumque deducit ad colatoria, ut intestinorum, vesicæ, cutis &c. Hinc naturæ motus expendat Medicus, & si quidem idonei fuerint, eosdem adjuvet, promoveatque. Quod si contra vel fluidorum, vel organorum vitio naturæ conatus alio tendant, ut in lienem, cor &c. ubi nulla sunt colatoria, immo si conatus ipsi vehementius in cerebrum, hepar, pulmonesque dirigantur, hos prohibeat, ac divertat utpote contrarios, & noxios.

Quinta lex sic habet. *In vigore morbi, & quando natura movere coepit, a fortioribus conmoventibus, & evacuantibus temperato, & potius exceden-*

cedentes motus refrenantibus inhæreto. Ut enim observat *Sthalius*; quo magis jam processit methodus certa naturæ, eo minus tolerat interturbari, adeoque, ut recte monet *Hipp.* si quid movendum est initio move.

Sexta lex ita præcipit. *Dum morbus celeriter movetur, celeriter moveto*.

Septima lex hæc monet. *Extremis morbis extrema remedia adhibeto*. Et quidem intensitati morbi respondere debet virtus medicamenti, quo tum in fluidis, tum in solidis partibus naturalis constitutio restauretur, ea scilicet, quam in statu sanitatis habebant, & quam præsens morbus inmutavit. Si aliter procedatur, medicamenta nimirum parum activa usurpentur, natura a vi morbi plerumque opprimitur.

Octava lex hæc habet. *Cum plures indicationes adimplendæ simul occurrunt, per conveniens medicamentum simul omnibus satisfacito, modo illis satisfacere simul possis*. Sic in dysenteria quoniam saburra ventriculi indicat evacuantia, ejusdem vis infracta postulat roborantia, hiulca intestinorum vasa exigunt constringentia, & alvus liquida constipantia, indicationibus hisce omnibus præscripta ipecacuanha, quæ eximium emeticum, roborans, & adstringens est, satisfiat.

Nona lex hæc jubet. *Cum duæ diversæ indicationes adimpleri simul nequeunt, tunc urgentiori occurrito*.

Decima lex ita habet. *Si unum symtoma pendeat ab altero, symtomati primitivo potius occurrito, quam derivativo*.

Unde-

Undecima lex sic est. *Medetor morbo per medicamenta mitiora, quam per fortiora, modo utraque sint aeque idonea.* Nam mitiora medicamenta minus fatigant corpus prae fortioribus.

Duodecima lex haec praecipit. *Magis esto solicitus de medendo morbo, quam symtomatibus; sed si haec majus periculum portendant, his primum medetor.*

Decimatertia lex haec sancit. *Urgentiori periculo statim occurrito, atque adeo prout nobilius organum adsicitur, & gravior est noxa, conatus quosdam intendito neglectis ceteris, aut majorem virium copiam absumito anceps potius experiundo conamen, quam nullum.*

Decimaquarta lex ita se habet. *Si auxilia sibi mutuo repugnent, alia, quae se mutuo non destruant, inquirito.* Sic quoniam hepar obstructum indicat incidentia, acrimonia vero sanguinis incrassantia, confugiendum est ad diluentia quibus acrimonia simul, & viscidiitas retundantur.

Decimaquinta lex ita jubet. *Phlebotomiam catharsi, quam catharsim phlebotomiae praemittito.* Cum enim observatione constet misso sanguine naturam non raro vomitum, aut diarrhoeam excitare, vel ad auxilia generalia fieri expeditionem, hinc praestat in genere praesciptae legi obtemperare.

Decimasexta lex ita monet. *Evacuationes criticas adjuvato, symtomaticas vero moderator.* De hac lege adnotabimus primo evacuationes criticas promovendas non esse, cum ipsae per se sufficiunt sanando morbo. 2. Nonnullos casus contingere posse, quibus praestat evacuationes symtomaticas adjuvare. Sane *Hipp.* 5. epidem. exemplum refert ho-

mlnis

minis choleræ morbo adfecti, qui ope hellebori ſanatus fuit. Fortaſſe reliquiæ conrupti cibi in primis viis hærentis vomitum, & dejectiones ciebant, quæ reliquiis illis per helleborum eductis ſtatim conquieverunt. Hanc tamen medendi methodum damnat *Cælius Aurelianus*.

Decimaſeptima lex hæc ſancit. *Dum in morbis adparent petechiæ, nihil amplius in primis viis moveto*. Et quidem eo tempore ipſa etiam enemata ſuſpecta ſunt.

Decimaoctava lex hæc ſtatuit. *Quo magis ad ſtatum vergit febris, eo minus utitor refrigerantibus*. Per ea ſiquidem criſis plerumque impeditur; liberalius vero iidem utendum eſt circa initia; Tunc ſiquidem nimia febrilis caloris acuties, humorum impetus, & rareſcentia graviſſima minantur mala, niſi per humectantia, & diluentia prudenter repetita leniantur, motuſque ſanguinis ad eam mediocritatem redigatur, quæ ſufficiens ſit abſolvendæ depurationi.

Decimanona lex ita vult. *In nonnullis morbis ex. gr. colica biliosa valde pertinaci, in phthiſi cum fluxu conliquativo, in hyſteria, & adfectu hypocondriaco inveteratis, demum in chronicis morbis, & a viſcerum obſtructione productis ab uſu remediorum caveto, & ruſticano in aere exercitationem præſcribito*.

Viceſima lex ſic habet. *In morbis nunquam ab ægrotante diſcedito, niſi linguam inſpexeris*. Hæc enim ſtatum ſanguinis præ aliis ſignis & apertius, & certius nobis indicat; Et niſi ſapor, color, aliaque linguæ adcidentia ad naturalem ſtatum redacta ſint, nunquam ægrotantem tutum dato adſtantibus.

Vige-

Vicesimaprima lex hæc præcipit : *In morbis duo potissimum spectato, scilicet ut juves, aut saltem ne noceas*. Magis autem nocet remedium, quod non convenit, quam damno sit non exhibere remedium, quod convenit. In primo casu natura ab opere suo dimovetur, in altero nihil eidem impedimento est, quominus laboret in curando morbo.

FINIS.